

# Stanisław Frankl

---

## Doctrina Hosii de sacrificio Missae cum decreto Tridentino comparata

---

Collectanea Theologica 16/3, 281-339

---

1935

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

## DOCTRINA HOSII DE SACRIFICIO MISSAE CUM DECRETO TRIDENTINO COMPARATA.

Ad quaestiones hodie in sacramentologia acriter disputatas pertinet problema de sacrificii missae essentia metaphysica. Iam vero magnum pro huius quaestionis elucidatione adiumentum esset investigatio disputationum, quas patres et theologi in concilio Tridentino habuerunt. Cum tamen notabilis pars concilii actorum, in quibus de sacrificio missae sermo est, adhuc prelum expectet, sequitur dissertationes theologorum, qui doctrinam concilii Tridentini de sacrificio missae exponere conantur, non esse completas, nisi considerentur ipsa archiva, ubi respectiva acta collecta sunt<sup>1)</sup>. Editiones enim actorum Tridentinorum, quae hucusque apparuerunt, nondum praebent fontes sufficientes<sup>2)</sup>.

Nihilominus tamen non absque emolumento pro historiae dogmatum cognitione erit expositio doctrinae circa quaestionem motam Cardinalis Stanislai Hosii, episcopi Varmiensis, qui tertius Legatus praefuit concilio Tridentino illo ipso tempore, quo doctrina de sacrificio missae obiectum laboris patrum et theologorum fuit. Quamvis enim Hosius — ut ex actis concilii elucet — non multum publice in congregationibus synodi disputaret, tamen, praesertim

---

<sup>1)</sup> Documenta concilii Tridentini inveniuntur potissimum Romae in secreto tabulario Vaticano, in bibliotheca Vaticana, Borghesiana, Barberinorum, Victorio-Emmanueliana, Angelica, Corsiniana, Vallicelliana et in Romano archivo publico. Insuper multa documenta magna in parte nondum edita vel referentiae huius concilii inveniuntur in variis bibliothecis, archivis, tabulariis tum publicis tum privatis italicis, hispanicis, gallicis, polonicis, germanicis, austriacis, bohemicis, hungaricis. Cf. *Concilium Tridentinum, Diariorum, actorum, epistolarum, tractatum, nova collectio*, ed. Societas Goerresiana Friburgi Br. 1901 ss. (abbr. C. Tr.) I p. XIX—XXXIV.

<sup>2)</sup> Editores C. Tr. non semper praebent omnia vota patrum aut theologorum in extenso.

ob opus suum „*Confessio*“ iam tunc celeberrimum, magna in quaestionibus controversis auctoritate gaudebat. Etenim Joannes Castaneus, qui postea fuit Papa Urbanus VII (15. Septembris 1590—27. Septembris 1590), Archiepiscopus Rossanensis, in voto suo, quod die 11. Augusti 1562 an. super doctrinam de sacrificio missae reddidit, dixit minime esse necessarium, immo valde periculosum, sententias concilii theologicis fundare rationibus, „quia canones videntur satis clari et nihil obscurum continere, quod declaratione huiusmodi indigeat“<sup>1)</sup>. Hae enim rationes valerent aut pro haereticis, aut pro catholicis. Ast non valent pro haereticis, qui reiiciunt ipsarum fundamenta, quippe quae ex traditione procedant; superfluae sunt pro catholicis, qui totam doctrinam de missae sacrificio invenire possunt tum in missali, tum in libris catholicis, „quorum aliqui ita sunt eleganter, ita explicate expositi, ut (ex iis) facile doceantur, quicumque rectores et contionatores, quomodo sibi commissos populos erudire debeant, inter quos est liber Imi Dni Cardinalis Varmiensis“<sup>2)</sup>.

Quapropter volumus in praesenti exponere Hosii doctrinam circa sacrificium missae. Cum tamen prima pars Hosianae Confessionis, in qua mota quaestio consideratur an. 1553 Cracoviae in officina haeredum M. Scharffenberger edita sit (labor typographicus an. 1551 inceptus est), et in concilio Tridentino hoc problema iam ab an. 1551 obiectum disputationis fuerit, ut valor doctrinae Hosii melius aestimari possit, breviter concinneque de nonnullis fundamentalibus quaestionibus, quibus doctrina de sacrificio missae constat, acriter in concilio agitatis, dicere, necnon ipsius decreti doctrinam exponere convenit.

Adumbrata de sacrificio missae concilii doctrina, iam in eius luce argumentationis Hosianae methodum circa idem obiectum exponemus. Maioris tamen perspicuitatis rei gratia — ut mens auctoris reddatur — totam hanc quaestionem sub respectu dogmatico dumtaxat sciscitando, in tres dividemus inaequales partes, quarum prima sacrificii missae existentiam examinat, secunda eiusdem naturam scrutatur, tertia denique efficaciam investigat. Quaestiones liturgicas et caeremoniales, cum non pertineant ad obiectum huius articuli formale (respectus dogmaticus), pro tempore praetermitteremus.

<sup>1)</sup> C. Tr. VIII 758 s.

<sup>2)</sup> ibid. 759.

Ulterius rimatur problema relationis huius doctrinae ad decretum Tridentinum.

Fons pro doctrina Tridentina exponenda inservit actorum synodi editio praesertim Theineriana et Goerresiana, doctrina autem Hosii hauritur imprimis ex eius opere „Confessio catholicae fidei Christiana“, ubi mota quaestio κατ'ἑξοχὴν exponitur<sup>1)</sup>.

Cum ultima „Confessionis“ editio, ad ipsam materiam quod attinet, non differat ab editionibus praecedentibus, nisi SS. Patrum testimoniis, noviter adhibitis, atque brevissimis auctis explanationibus, abstinemus pro tempore evolutione ipsius Hosii doctrinae praestanda.

## I.

„Triumphata missa, puto nos totum papam triumphare“<sup>2)</sup> en fax et tuba Martini Lutheri contra Ecclesiam Romanam eiusque doctrinam. Alludens ad epistolam S. Pauli (Heb. 10, 10) „audisne — dicit — Christus semel se ipsum obtulit, non voluit denuo ab ullis offerri, sed memoriam sui sacrificii voluit fieri. Et vobis unde haec audacia, ut sacrificium ex ea memoria feceritis? Nonne sic a proprio cerebro citra et ultra praeceptum divinum vos insanitis? Si autem ex memoria oblationis sacrificium facitis et eum denuo offertis, cur non ex memoria nativitatis eius aliam nativitatem quoque ei affingeritis et denuo nasci eum facitis?“<sup>3)</sup> Quamvis enim Luther sacrificium Salvatoris in cruce peractum admitteret, negabat tamen prorsus indolem sacrificalem tum ultimae coenae, tum cuiuslibet missae sacerdotalis.

Hanc Lutheri doctrinam secuti sunt alii novatores, ut Ulricus Zwingli (1523)<sup>4)</sup>, Philippus Melancthon (1530), Joannes Calvin (1536), Joannes Brenz (1552), Valentinus Vannius (1555), Theodorus Beza (1560), Jacobus Smidelinus (1560), Petrus Richer (1561). Eadem sententia invenitur etiam in scriptis

<sup>1)</sup> *Confessio catholicae fidei Christiana*: D. Stanislai Hosii S. R. E. Cardinalis... Opera omnia in duos divisa tomos... Coloniae apud Maternum Cholinum 1584 (abbr. HOo).

<sup>2)</sup> *Contra Henricum regem Angliae* (1522). Cf. Köstlin J. *Luthers Theologie*, Stuttgart 1901. I 968.

<sup>3)</sup> Luther Martin, *Werke*, Weimar 1883... VIII 241.

<sup>4)</sup> Numeri uncis inclusi indicant tempus editionis operis, in quo mota quaestio consideratur.

symbolicis, ut Confessio Genevensis (1536), Articuli Anglicani (1552), Confessio Tetrapolitana (1560), Confessio Hungarica (1562), Confessio Helvetica Posterior (1562); Similes denique errores disseminantur in prima Centuria Magdeburgica (1559)<sup>1)</sup>.

Cum concilii Tridentini fuerit veritatem ab errore secludere atque claram certamque doctrinam de sacrificio missae fidelibus credendam proponere, Cardin. Hieronymo Seripando duce, nonnulli theologi<sup>2)</sup> carpserunt atque delibaverunt ex operibus pseudo-reformatorum flosculos, scilicet decem articulos, in quibus tota eorum doctrina de sacrificio missae contenta fuit<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Alonso M., *El Sacrificio Eucharistico de la última cena del Señor según el Concilio Tridentino*, Madrid 1929, 11—26. In hac magna documentorum collectione cl. Auctor non semper recte observat ordinem, praesertim chronologicum.

<sup>2)</sup> Salmeron Alphonsus S. J. theologus Hispanus et Laynez Jacobus, Praepositus Generalis S. J.

<sup>3)</sup> 1. Missam non esse sacrificium, nec oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem sacrificii in cruce peracti; vocari autem a Patribus translato nomine sacrificium, at vere et proprie non esse, sed tantum testamentum et promissionem remissionis peccatorum. 2. Missam non esse ex evangelio, neque a Christo institutam, sed inventam ab hominibus; neque eam esse opus bonum, aut meritorium; immo in ea committi manifestam et multiplicem idololatriam. 3. Blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in cruce peracto, si quis credat Dei filium denuo a sacerdotibus in missa Deo Patri offerri; Christumque pro nobis mystice immolari et offerri non aliud esse, quam illum nobis ad manducandum dari. Et Christus illis verbis: „*Hoc facite in meam commemorationem*“ non ordinasse, ut Apostoli offerrent corpus et sanguinem eius in sacrificio missae. 4. Canonem missae erroribus et seductionibus scatere abrogandum esse, fugiendum non secus, ac pessimam abominationem. 5. Missam nec vivis, nec mortuis ut sacrificium prodesse; et impium esse applicare eam pro peccatis, pro satisfactionibus et pro aliis necessitatibus. 6. Sicut nemo pro alio communicat, vel pro alio absolvitur, ita nec in missa sacerdos pro alio sacrificium offerre potest. 7. Missas privatas, in quibus scilicet solus sacerdos et non alii communicant, ante Gregorium M. non fuisse et illicitas esse atque abrogandas, ac cum Christi institutione pugnare et praesentare magis excommunicationem, quam communionem a Christo institutam. 8. Vinum materiam non esse huius sacrificii, neque aquam miscendam cum vino in calice, idque esse contra Christi institutionem. 9. Ecclesiae Romanae ritum, quo secreto et submissa voce verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; missamque non nisi in lingua vulgari, quam omnes intelligant, celebrari debere; imposturamque esse certas missas certis sanctis attribuire. 10. In celebratione missarum omnes caeremonias, vestes et externa signa irrita-

Antequam vero hoc factum est, iam die 6. Martii an. 1547, quo tempore — ut ex actis synodi elucet. — prima vice quaestio de sacrificio missae in concilio Tridentino obiectum considerationis fuit, proponitur damnandus fundamentalis haeticorum articulus contra sacrificium missae<sup>1)</sup>, attamen Cardinale Marcello Cervino, qui in sequenti decennio Papa fuit<sup>2)</sup>, postridie hanc quaestionem movente, patres concilii constituerunt totam doctrinam de sacrificio missae „post omnium sacramentorum absolutionem“ sciscitari<sup>3)</sup>.

Duo igitur sunt temporis spatia, in quibus motum problema in concilio Tridentino obiectum disquisitionis fuit: primum a die 7. Decembris an. 1551 usque ad diem 28. Aprilis anni sequentis, cum patres, auctoritativa concilii suspensione, ab Julio III die 15. Aprilis 1552 facta, deliberationem interciderunt, secundum deinde a die 19. Iunii 1562, cum haec quaestio iterum deliberata et disputata, tandem aliquando die 17. Septembris 1562 in sessione XXII solemniter publicata fuit.

Ad existentiam sacrificii missae probandam quod attinet, variae exponuntur rationes. Praecipuum tamen scripturisticum argumentum, prout *textus dogmaticus*, tum in primo capite, tum in secundo canone sessionis commemoratae definitum est praeceptum Christi: *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19)<sup>4)</sup>. Quamvis enim hoc argumentum in omnibus tam huius capituli, quam canonis schematibus praeparatoriis adhibitum sit<sup>5)</sup>, nihilominus tamen non defuerunt et patres et theologi, etiam primae notae, qui aut de valore huius argumenti dubitabant, aut illud expresse negabant, aut saltem hoc argumentum differendum esse

---

bula impietatis esse magis, quam officia pietatis. Et sicut missa Christi simplicissima fuit, ita quanto missae illi primae omnium missae vicinior et similior sit, tanto magis esse Christianam“. Theiner A., Acta genuina SS. oecumenici Concilii Tridentini... Zagrabiae 1875 (abbr. Theiner) I 602 s.

<sup>1)</sup> „Eucharistiam non esse verum sacrificium“. C. Tr. V 1008.

<sup>2)</sup> Marcellus II electus Papa 9. Aprilis 1555, mortuus 1. Mai 1555. Pastor, *Geschichte der Päpste*, Freiburg i. Br. 1913 VI 324, 354.

<sup>3)</sup> C. Tr. I 137; ibid. 623. — Reipsa tamen quaestione de sacrificio missae absoluta, editum est decretum de sacramento ordinis (15. Iulii 1563) et decretum de sacramento matrimonii (11. Novembris 1563).

<sup>4)</sup> C. Tr. VIII 960, 962.

<sup>5)</sup> De die 20. Ianuarii 1552 cap. I: Le Plat, *Monumentorum ad historiam Concilii Tridentini illustrandam spectantium amplissima collectio*,

censebant<sup>1)</sup>. Similiter dicendum est de aliis scripturisticis locis tempore concilii Tridentini, ad existentiam sacrificii missae probandam a theologis adhibitis; sermo partim est de prophetia Malachiae, in qua sacer auctor repudiatione veteris cultus stricte sacrificialis praedicta, annuntiat novum cultum, *universalem, vere sacrificalem et mundum*, qui non verificatur, nisi in missa N. T.<sup>2)</sup>, partim autem de sacerdotio, secundum ordinem Melchisedech<sup>3)</sup>

Lovanii 1787 (abbr. Le Plat) IV 386; can. V: Theiner, I 646; de die 20. Julii 1562, art. 3: C. Tr. VIII 719; de die 6. Augusti 1562 cap. I ibid. 751; can. IV ibid. 785; de die 5. Septembris 1562 cap. I ibid. 910; can. III ibid. 911.

<sup>1)</sup> De valore huius argumenti *dubitabant*: Joannes Castaneus, archiepiscopus Rossanensis: C. Tr. VIII 758; Antonius Altovita archiepiscopus Florentinus: ibid. 913; Joannes Antoniles, episcopus Juvenacensis: ibid. 767; Vincentius de Luchis, episcopus Anconitanus: ibid. 774; Joannes Amannius, episcopus Anglonensis: ibid. 781; Alexander Sfortia, episcopus Parmensis: ibid. 781; Petrus de Soto, theologus hispanus: ibid. 726. Valorem eiusdem argumenti *formaliter negabant*: Julius Pavesius, archiepiscopus Surrentinus: ibid. 757; Leonardus Marina, archiepiscopus Lancianensis: ibid. 758; Albertus Duinius, episcopus Veglensis: ibid. 766; Joannes Bovius, episcopus Ostunensis: ibid. 779; Franciscus Ferrerius O. Pr., Sebastiani? regis Portugaliae theologus: ibid. 732. *Negabant* deinde valorem huius argumenti, in quantum *directe ad sacerdotii institutionem* adhibetur: Bartholomaeus de Martyribus, archiepiscopus Bracarenensis et Petrus Querrero, archiepiscopus Granatensis: ibid. 913. Denique satis multi hoc argumentum *differendum esse censebant*: Gasparo Cervantes, archiepiscopus Messanensis; Antonius de Comitibus, episcopus Brugnatensis; Petrus Pallavicinus, episcopus Aleriensis; Timotheus Iustinianus O. Pr., episcopus Calamonsensis; Aceisculus Moya de Contreras, episcopus Vincensis; Arias Galieo, episcopus Gerundensis; Franciscus Blancus, episcopus Auriensis; Hieronymus Savorgnanus, episcopus Sibinicensis; Antonius Augustinus, episcopus Ilerdensis; Lupus Martinez, episcopus Elnensis; Bernardus del Bene, episcopus Nemausensis; Ioannes de Quignone, episcopus Calaguratinus; Hippolytus de Rubeis, episcopus Papiensis; Hieronymus Ragazonus, episcopus Famaugustanus; Didacus Ramirez, episcopus Pamphilonensis; Franciscus del Grado, episcopus Lucensis; Mathaeus Priolus, episcopus Emoniensis: ibid. 955.

<sup>2)</sup> „Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et minus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum nomen meum in gentibus...“ Mal. 1, 10 s.

<sup>3)</sup> „At vero Melchisedech rex Salem, proferens panem et vinum, erat enim sacerdos Dei altissimi“... Gen. 14, 18. Ille autem מלכיצדק (βασιλευς

in quo iste „rex pacis“ iuxta Scripturae doctrinam fuit typus sacerdotii Christi<sup>1)</sup>. Non defuerunt denique theologi et patres, qui totam de sacrificio missae doctrinam magis in Traditione, quam in Scriptura fundari putarunt<sup>2)</sup>.

Sedulo tamen est notandum valorem horum trium adductorum argumentorum praeprimis anno 1562 obiectum disquisitionis atque disputationis in concilio fuisse.

Ad commemorata argumenta additur aliqua nova ratio, quae tum existentiam sacrificii missae, tum eius essentiam explanet; quaeritur nempe, utrum Christus in ultima coena sacrificaverit. Iamvero tam in praeparatoriis schematibus articulorum necnon capitum (excepto cap. I die 6. Augusti 1562 in congregatione prolato: C. Tr. VIII 751), quam in primo capite solemniter die 17. Septembris 1562 in sessione XXII proposito de oblatione Christi in ultima coena explicite sermo fuit<sup>3)</sup>. Item theologi, quorum disquisitioni haec materia anno 1551 proposita erat, communiter Salvatorem in ultima coena obtulisse docuerunt. Difficultas tum demum oritur, cum anno sequenti nonnulli patres affirmare conabantur

---

δικαιουσύνης) (Heb. 7, 2) erat typus Christi sacerdotis, ad quem Paulus refert Scripturae textum (Ps. 110, 4): *Quoniam tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech*. Heb. 7, 17. Cf. Heb. 7, 1—25. — De modo argumentationis ex prophetia Malachiae et sacerdotio Melchisedech sermo infra occurret. Cf. infra p. 295—299.

<sup>1)</sup> Ad existentiam sacrificii missae probandam adhibent argumentum ex Malachia *theologi*: Alphonsus Salmeron S. J.: C. Tr. VIII 722; Antonius Solisius: *ibid.* 727; Ferdinandus de Bologiglo: *ibid.* 729; Didacus de Paiva: *ibid.* 733; Melchior Cornelius: *ibid.* 734; Joannes Cuvillionius: *ibid.* 737; Joannes Franciscus Lombardus: *ibid.* 738; *Patres*: Cardinalis Ludovicus Madruis: *ibid.* 755; Antonius de Capua, archiepiscopus Indruntinus: *ibid.* 755; Mutius Calinus, archiepiscopus Jadrensis: *ibid.* 757. Maior tamen pars tum patrum tum theologorum hoc argumentum silentio praetermisit. — Magna autem auctoritate gaudet argumentum ex sacerdotio Melchisedech assumptum. Adhibitum est enim ab iisdem fere theologis et patribus, qui argumentum ex Malachia suum fecerunt, ad quos adhuc accedit patrum numerus considerabilis (21).

<sup>2)</sup> Bartholomaeus Miranda: Theiner I 633; Antonius Marinarius: *ibid.* 632; Sebastianus Laccarda, archiepiscopus Naxiensis C. Tr. VIII 756; Julius Pavesius O. Pr., archiepiscopus Surrentinus: *ibid.* 757; Franciscus Ferrarius O. Pr., *ibid.* 733; Franciscus de Sanctio: *ibid.* 743.

<sup>3)</sup> De die 20. Januarii 1552 cap. I: de Plat. IV 386; can. 13: Theiner I 646; de die 20. Julii 1562 Artic. 2: C. Tr. VIII 719; de die 5. Septembris 1562 cap. I: *ibid.* 910; de die 17. Septembris 1562 cap. I: *ibid.* 960.



oblationem Dominicam in ultima coena demonstrari non posse<sup>1)</sup>. Quaestio fit magis implicata anno 1562, „cum in Synodo... Tridentina — ut Hosius testatur — magna fuisset de eo contentio, num in coena Christus se obtulisset; nec enim defuerunt, qui — quod Lutherani quoque faciunt — negarent oblationem ullam in coena factam esse“<sup>2)</sup>. Ipse enim Cardinalis Seripandus „strenuissime contendit, Christum in ultima coena instituisse quidem sacrosanctum altaris sacrificium... non autem se ipsum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulisse“<sup>3)</sup>. Iamvero auctoritas doctissimi Cardinalis Neapolitani (Seripandi) non absque influxu in patres et theologos concilii permansit<sup>4)</sup>.

Causa, cur heterodoxi sacrificium missae negarent, fuit, ne id sacrificio Salvatoris in cruce peracto deroget. Iamvero indoles nec non necessitas huius sacrificii eiusque relatio tum ad sacrificium crucis tum ad sacrificium ultimae coenae fuit fundamentum quaestionum, quae acerrimam in sessionibus discussionem ac contentionem excitaverunt. Quamvis enim communiter convenirent et patres et theologo (quod iam ceterum occurrit in omnibus schematibus praeparatoriis, atque in ipso capite, ubi respectiva quaestio auctoritative exponitur), per sacrificium missae applicari nobis fructus redemptionis, tamen non defuerunt, qui asseverabant missam non esse sacrificium, sed tantum veri sacrificii imaginem et cupiebant „dici in missa esse sacrificium, non autem missam esse sacrificium“<sup>5)</sup>.

Praesertim ipsius applicationis modus disputabatur. Cum omnes sententiae de indole ultimae coenae accuratius determinanda

---

<sup>1)</sup> Thomas C a m p e g i, episcopus Feltrensis: Theiner I 639; Cornelius M u s s o, episcopus Bitontinus: ibid. 640.

<sup>2)</sup> B. *Petri Canisii Epistolae et Acta*, coll. O. B r a n s b e r g e r, Friburgi Br. 1896 ss. (abbr. C. Ep.) V 139. Epist. Hosii ad Card. Amulium an. 1565: HOo II 239.

<sup>3)</sup> C. Tr. VIII 762 n. 1.

<sup>4)</sup> Christum in ultima coena sacrificasse *negabant*: *Theologi*: Franciscus Ferrerius O. Pr.: C. Tr. VIII 732, cf. ibid. 733 n. 1; Joannes Miavacha: ibid. 786; Petrus de Soto: Le Plat VII 330 s. *Patres*; Leonardus Maurinus O. Pr., archiepiscopus Lancianensis: ibid. 758; Petrus Querrero, archiepiscopus Granatensis: ibid. 913; Albertus Duinus de Glliriscis O. Pr., episcopus Veglensis: ibid. 766 s; Joannes Antolines, episcopus Juvenacensis: ibid. 767.

<sup>5)</sup> Thomas C a m p e g i, episcopus Feltrensis: Theiner I 639.

suos in concilio Tridentino habuerint defensores<sup>1)</sup>, etiam characterem sacrificii missae quotidianae, videlicet eius essentiam et fructus, obiectum controversiae fuisse sequitur. Sitne fructus ultimae coenae tantum latreuticus et eucharisticus, an etiam expiatorius, utrum sit et quomodo explicetur fructus missae expiatorius et propitiatorius, quaenam sit essentia missae physica, ob quam rationem missa sit sacrificium (essentia metaphysica) — en campus disquisitionis et controversiae theologorum et patrum, antequam doctrina de sacrificio missae auctoritative proposita sit.

Peracta disquisitione atque tota controversia absoluta die 17. Septembris 1562 concilium Tridentinum solemniter edidit in novem capitibus totidemque canonibus doctrinam de sacrificio missae<sup>2)</sup>. Cum definitionis authenticae sit veritatem a falsis definitionibus discernere, praeprius notandum est in hisce novem capitibus et canonibus contineri decem articulos damnatos, qui iuxta theologos minores totam heterodoxorum doctrinam de sacrificio missae complectuntur<sup>3)</sup>.

Ex prologo, qui mentem concilii circa veritates definiendas manifestat, aperte elucet Supremum Magisterium velle docere et declarare, ac „fidelibus populis“ praedicandas decernere quaestiones fidei, easque „in sua puritate, propulsatis erroribus atque haeresibus“ conservare<sup>4)</sup>.

Cum generatim finis cuiuslibet decreti sit imprimis refellere heterodoxorum opiniones, in ultimo capite, quod est simul canonum prologus, clare concilium dicit se velle „damnare et a S. Ecclesia eliminare“ errores disseminatos „adversus veterem... in sacrosancto Evangelio, apostolorum traditionibus, sanctorumque patrum doctrina fundatam fidem“<sup>5)</sup>.

Centrum totius decreti est docere, declarare et decernere id, quod pertinet ad „verum et singulare sacrificium“<sup>6)</sup>. In primo capite et duobus primis canonibus exponitur doctrina concilii de sacrificii existentia. Tota haec quaestio quatuor complectitur veri-

<sup>1)</sup> De La Taille M., *Coena et Passio in Theologia Apologetica contra pseudo-reformatores*: Gregorianum 9 (1928) 202.

<sup>2)</sup> O mittimus totum decretum disciplinare de sacrificio Missae.

<sup>3)</sup> cf. supra p. 284 n. 3.

<sup>4)</sup> C. Tr. VIII 959.

<sup>5)</sup> ibid. 961.

<sup>6)</sup> ibid. 959.

tates: affirmationem unius sacrificii crucis, eius perpetuitatem in visibili ritu Ecclesiae, primam oblationem sacrificii eucharistici in ultima coena, missionem Apostolis traditam ad hoc sacrificium peragendum. Momentum autem centrale veri sacrificii est sacrificium crucis, quod propter duplicem rationem in sacrificio christiano continuatur, videlicet christologicam „quia... per mortem sacerdotium eius (Christi) extinguendum non erat“ et ecclesiologicam „ut dilectae sponsae suae Ecclesiae visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium“<sup>1)</sup>. Longam disputationem, quomodo Apostoli, nondum in sacerdotio initiati, potuerint accipere potestatem celebrare missam concilium decernit Christum verbis *Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19) Apostolos sacerdotes instituisse eisque ordinasse, ut ipsi alique sacerdotes offerrent. Ad existentiam sacrificii missae demonstrandam utitur praeterea concilium testimoniis scripturisticis, iam supra commemoratis, videlicet prophetia Malachiae et textu de sacerdotio Melchisedech.

In primo canone damnantur errores pseudo-reformatorum contra sacrificii missae existentiam<sup>2)</sup>. Notandum tamen est concilium non dicere „missam esse sacrificium“, sed „in missa offerri sacrificium“. Concilium enim hac expressione intelligit missam liturgicam, quae praeter verum sacrificium varias caeremonias complectitur<sup>3)</sup>. In secundo deinde canone exponitur sensus verborum Christi *Hoc facite in meam commemorationem*<sup>4)</sup>.

Probata sacrificii missae existentia, procedit synodus ad eius naturam ac valorem explicandum. Missa, quamvis non sit „tantum commemoratio sacrificii in cruce peracti“<sup>5)</sup>, sed etiam sacrificium latreuticum, eucharisticum, et vere propitiatorium, quod prodest tum Eucharistiam sumenti, tum non sumenti et offertur „pro vivis et defunctis, pro peccatis, poenis et satisfactionibus et

<sup>1)</sup> C. Tr. VIII 960.

<sup>2)</sup> Articulus 1—3: Cf. supra p. 284. n. 3, ubi exponitur collectio articulorum pseudo-reformatorum.

<sup>3)</sup> Alphonsus de Castro Zamorensis in suo opere encyclopaedico *Adversus omnes haereses libri XIII*, Coloniae 1539, de missa ita dicit: „Huius ergo ineffabilis sacramenti consecrationem cum caeremoniis ad illam pertinentibus nos missam vocamus“. (Lib. X, fol. CLXIII B.).

<sup>4)</sup> C. Tr. VIII 962.

<sup>5)</sup> Articulus 1, Cf. supra notam 2.

aliis necessitatibus<sup>1)</sup>, nihilominus tamen minime derogat sacrificio crucis, quod — licet objective consideratum infinitum redemptionis valorem habeat — tamen, ut redempti hanc redemptionem suam facere possint, scilicet, ut salutarem redemptionis virtutem percipiant, „sacerdotum ministerio“ indiget. Etenim totus sacrificii missae valor ex unitate cum sacrificio in cruce peracto derivatur: „Una enim eademque est hostia, idem... offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa“<sup>2)</sup>. Quapropter cum existentia sacrificii missae concilium definivit etiam tamquam eius correlativum divinam institutionem sacerdotii (can. 2.)<sup>3)</sup>.

Hisce perpensis considerat concilium res, quae iam pertinent ad sacrificii modalitatem. Contra heterodoxorum obiectiones<sup>4)</sup> declaratur licitum esse celebrare missam in honorem alicuius sancti (cap. 3; can. 5), nec canonem missae esse abrogandum (cap. 4; can. 6), nec missam, „in qua solus sacerdos sacramentaliter communicat“ illicitam adeoque removendam esse (cap. 6; can. 8), varias autem caeremonias atque liturgicas praescriptiones rite observandas esse (cap. 5, 7; can. 7, 9). Denique contra „novatorum“ postulationes<sup>5)</sup> prohibetur celebratio missae lingua vulgari (cap. 8; can. 9) et praecipitur, ut sacerdotes, curam animarum gerentes, in diebus dominicis et festis contionem ad populum habeant (cap. 8).

Hac quaestione exposita fatendum est quidem concilium Tridentinum minime definitionem sacrificii missae praebere, immo materiam, circa essentiam huius sacrificii disputatam in medio relinquere<sup>6)</sup>. Nihilominus tamen contra errores novatorum stabilitae sunt aliquae veritates, quibus theologi innixi, conantur evolvere atque magis magisque perficere singulas quaestiones quarum est aedificare augustissimum S. Theologiae tractatum — *Mysterium Fidei*.

\* \* \*

<sup>1)</sup> Cap. II: C. Tr. VIII 960; can. III, *ibid.* 962.

<sup>2)</sup> Cap. II: *ibid.* 960.

<sup>3)</sup> *ibid.* 962. Rivière J., *Messe au Concile de Trente: Dictionnaire de Théologie cath.* X (1) 1128—1139.

<sup>4)</sup> Quatuor articuli (7—10). Cf. supra p. 284. n. 3.

<sup>5)</sup> articulus 9. *ibid.*

<sup>6)</sup> Rivière op. c. 1135; Lepin, *L'idée du sacrifice de la messe d'après les théologiens*, Paris 1926, 330 s; Junglas, *Die Lehre des Konzils*

Doctrina concilii Tridentini circa missae sacrificium per summa dumtaxat capita considerata, atque hoc modo delineata luce, ex qua tum momentum quaestionis, tum theologorum, saltem in concilii congregationibus ac sessionibus partem habentium, sententiae de moto problemate appareant, exponendum est, quid hac de re Stanislaus Hosius docuerit. Ut autem eius doctrina clarius exponatur considerabimus — sicuti iam supra<sup>1)</sup> animadvertimus — primo sacrificii missae existentiam, deinde existentiam, denique efficaciam.

## II.

Episcopus Varmiensis, cum ad existentiam sacrificii missae probandam argumenta scripturistica, patristica et ex ratione theologica adhibeat, ut mens auctoris fideliter reddatur, iuxta eundem ordinem in praesenti procedendum est.

1. **Argumenta scripturistica.** Sacrificium Novae Legis, videlicet missa, Novo Testamento in Veteri Foedere latente, iam longe, antequam divinitus institutum sit, in vera religione, quae adventum Christi praecedebat, tum adumbrabatur, tum clara depingebatur luce. Quapropter Hosius, ad demonstrationem existentiae sacrificii missae praebendam, testimoniis partim V. T. partim N. T. utitur.

Primo argumentatur Hosius ex relatione sacrificiorum, quibus homines Deum colebant prius *quam venit plenitudo temporis*, (Gal. 4, 4) ad sacrificium N. T. a Christo in ara crucis oblatum. Hoc enim est illud singulare et absolutum sacrificium, ad quod tendunt omnia vera sacrificia praecedentia et ex quo hauriunt suum valorem omnes verae oblationes sequentes. Varia igitur sacrificia Patriarcharum, qui tempore naturae et legis, incipiendo ab Abel iusto, deinde per Noë, Melchisedech, Abraham ad sacrificia legalia Aaron filiorumque eius transeundo, victimis pecorum, quae Deo offerebant, multis variisque modis, sicut re tanta dignum erat, plane ac diserte cruentum sacrificium Salvatoris adumbrabant<sup>2)</sup>. Ast vero, quamvis sacrificium Christi sit unum, tamen in multipli-

---

*von Trient über das hl. Messopfer: Bonner Zeitschrift für Theologie und Seelsorge* 2 (1925) 193, Alonso, op. c. 240.

<sup>1)</sup> Cf. p. 282.

<sup>2)</sup> HOo I 114.

cibus signis „tamquam multis verbis res una diceretur, ut sine fastidio multum commendaretur“, atque hoc modo oblationibus praeursorum V. T. praefigurabatur<sup>1)</sup>.

Fatendum est quidem hanc argumentandi methodum, cum oblationes — de quibus supra — ad Christi sacrificium cruentum referantur, directe sacrificii missae existentiam nullo modo probare, nihilominus indirecta missae existentiae probatio negari nequit, quia incruentum sacrificium quotidianum est illius in cruce peracti vera repraesentatio<sup>2)</sup>.

Non deest tamen in V. T. imago, qua sacrificium missae directe praefiguraretur. Sermo est de agno paschali, qui non tantum agni incontaminati N. T. est figura, sed etiam — ut haec imago veritati, cuius est imago, adaequate respondeat — ad sacrificium quotidianum directe refertur<sup>3)</sup>.

Perpensis adumbrationibus ac figuris, ubi incruentum sacrificium N. T. illustratur, conatur Hosius demonstrare, idem sacrificium iam in lege Mosaica promitti. Maximi autem momenti pro Hosiana argumentandi methodo est textus Malachiae prophetae, de cuius valore ad existentiam sacrificii missae probandam — ut supra dictum est<sup>4)</sup> — inter patres concilii Tridentini magna contentio fuit.

Prolato Scripturae textu<sup>5)</sup>, accedit ad sensum eius explicandum. „Quibus in verbis — dicit Hosius — tria nobis conside-

<sup>1)</sup> *ibid.* 113 s.

<sup>2)</sup> Cf. *infra* p. 318 s.

<sup>3)</sup> „Nam et illud certum est et indubitatum, quod agnus ille paschalis in Veteri Lege figura fuit agni incontaminati, Domini nostri Jesu Christi, qui semetipsum in ara crucis oblaturus erat hostiam Deo Patri. Atqui ea figura non omni ex parte respondet rei gestae in ara crucis, sed magis ei, quae gesta est in coena. Nam agnum ab Hebraeis immolatum legimus in recordationem eius beneficii, quo liberatus erat populus Israël de servitute Pharaonis et eductus de Aegypto. At immolatio agni immaculati, qua seipsum obtulit hostiam, pro nobis in ara crucis, non fuit facta in recordationem alicuius beneficii, sed fuit ipsum beneficium, fuit ipsa liberatio a peccatis, fuit ipsa redemptio de durissimo iugo diabolicae captivitatis. Quam ob rem necesse fuit, ut per illam immolationem agni paschalis, alia quaedam, praeter illam in cruce peractam immolatio significaretur, quae per Christum in novissima coena facta est, quam etiam a sacerdotibus fieri deinceps in suam commemorationem, in passionis et mortis recordationem instituit“. HOo I. 115.

<sup>4)</sup> Cf. p. 286.

<sup>5)</sup> Mal. I, 10 s.

randa veniunt. *Primum*, quod abolitum Deus voluerit vetus illud sacerdotium, quod erat secundum ordinem Aaron, quo solus utebatur populus Israël. *Deinde*, quod illi succedere voluerit novum et aeternum sacerdotium secundum ordinem Melchisedech, non ex una Aaron familia, sed ex omnibus gentibus eligendum. *Tertio*, quod oblatio, per sacerdotes novos offerenda, futura erat munda et quae in omni orbis totius loco offerretur<sup>1)</sup>. Ex hac tertia demum praedicti sacrificii qualitate sequitur idem ad solum missae sacrificium referrendum esse; datur enim in nova lege triplex sacrificium: duplex, quod tum est externum tum internum, scilicet oblatio crucis et missa sacerdotalis, et sacrificium mere internum<sup>2)</sup> „contriti et humiliati cordis“. Iamvero prophetia Malachiae propter suam universalitatem nequit referri ad sacrificium crucis, quod „nec inter gentes, nec in omni orbis loco, sed in una Iudaea“ factum est. Neque potest verificari in sacrificio „contriti et humiliati cordis“, quia primo, licet eiusmodi sacrificium „in omni orbis loco offerri Deo dubium non“ sit, „quis tamen erit, qui gloriari possit se mundum cor habere, atque illius oblationem mundam esse?... Deinde cordis contriti sacrificium non magis huius Ecclesiae, quae secuta est Christi passionem et mortem, quam illius, quae praecessit (V. T.) proprium esse videtur, ut aequae in lege atque nunc offerri potuerit<sup>3)</sup>. Insuper huiusmodi sacrificium pari iure pertineret ad quemlibet fidelem, ac ad sacerdotem<sup>4)</sup>. Hosiana argumentatio — ut ex allato textu apparet — duas complectitur partes, quarum altera ex conceptu *oblatio munda*, altera ex *differentia* inter Ecclesiam V. T. et N. T., inter sacrificium sacerdotis (sacramentaliter ordinati) et cuiuslibet fidelis procedit. Dum haec secunda pars aliqua speciali explicatione caret, fundamentum partis primae est comparatio inter praedictam oblationem mundam et statum peccaminosum cuiuslibet hominis, qui — cum gloriari nequeat se mundum cor habere — non potest Deo mundam oblationem offerre. Quae cum ita sint elucet oblationem a Malachia praedictam non verificari, nisi in sola missa N. T.

<sup>1)</sup> HOo I 116.

<sup>2)</sup> Hosius abstrahit hic ab oblatione Christi in ultima coena peracta.

<sup>3)</sup> HOo I 116.

<sup>4)</sup> *ibid.* — Ex absentia hac occasione argumenti ex necessitate pro vero sacrificio alicuius actus externi nequit concludi Hosium putasse verum sacrificium absolvi dumtaxat in actibus mere internis. Cf. hac de re infra p. 307 s.

Denique commemorat Hosius prophetiam Danielis<sup>1)</sup>, qui praedixit sublationem sacrificii missae temporibus novissimis<sup>2)</sup>. Iamvero haec propheta existentiam eiusdem sacrificii missae supponit.

Praeter hos textus V. T. quibus adiuvantibus Hosius existentiam sacrificii missae formaliter ac explicite probare conatur, datur etiam alter, scilicet mentio de sacerdotio Melchisedech — de cuius momento in synodo Tridentina iam supra sermo fuit<sup>3)</sup> — cuius tamen explanationem exegeticam Hosius magis supponit, quam praebet.

Hae tamen argumentationes, videlicet ex propheta Malachiae et sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, ita coniunguntur, ut una sine altera recte intelligi et adhiberi nequeat.

Quod in V. T. tum typice praefiguratur, tum promittitur, in N. T. omnino claram absque umbra demonstrationem invenit.

Textus pro tota Hosiana argumentatione principalis est mandatum Christi dicentis: „*Hoc facite in meam commemorationem*“ (Luc. 22, 19). Iamvero hoc modo non „praecepit Deus — dicit episcopus Varmiensis — ut distribuatur sacramentum corporis et sanguinis eius<sup>4)</sup>, verum etiam, ut benedicatur, sive consecratur et deinde imoletur, immolatum vero manducetur“<sup>5)</sup>. Etenim *facere* in textu S. Lucae non significat, nisi facere oblationem, quia Evangelista in hoc modo loquendi secutus est sui temporis usum, iuxta quem etiam apud scriptores ethnicos mos fuit, „ut facere dicant pro offerre vel sacrificare“<sup>6)</sup>.

Ceterum eiusmodi expressio non est orta absque influxu idiomatis Hebraeorum, qui — ut Scriptura testatur — vocabulo „*facere* in sensu *offerre sacrificium* usi sunt“<sup>7)</sup>.

<sup>1)</sup> Dan. 8, 13.

<sup>2)</sup> Eiusmodi prophetiae Danielis interpretatio fuit pervulgata tempore Stanislai Hosii. Cf. Fabri Joannis, *De Missa Evangelica...* Coloniae 1557. c. IX, fol. 62 s.

<sup>3)</sup> Cf. p. 286 s.

<sup>4)</sup> Hoc tendit directe contra heterodoxos, qui docuerunt Christum „pro nobis mystice immolari et offerri non aliud esse, quam illum nobis ad manducandum dari“. Cf. supra p. 284 n. 3 art. 3.

<sup>5)</sup> HOo I, 115.

<sup>6)</sup> Ibid.

<sup>7)</sup> „Nam facere agnos anniculos in Exodo, facere hircum pro peccato in Levitico, facere turturos in Numeris, facere haedum in libro Iudicum,



Eiusmodi quidem argumentandi modum agnoscunt etiam ipsi, qui negant missam esse sacrificium. Verumtamen dicunt verbum *facere* tum solum — iuxta morem loquendi ethnicorum — sensum *offere* exprimere, cum ei (scil. vocabulo *facere*) iungatur aliquod determinatum additamentum. Cum autem apud Lucam (22, 19) τὸ *facere* additamento careat, sequitur Evangelistam per vocabulum *facite* nullo modo sacrificium, vel oblationem exprimere voluisse<sup>1)</sup>.

Hanc tamen obiectionem ob duplicem rationem solido carere fundamento sentit Hosius. Primo inveniuntur etiam in V. T. propositiones — quod iam S. Hieronymus prudenter observat<sup>2)</sup> — ubi *facere* sine speciali additamento offerre, vel sacrificare significat, quapropter „perspicuum — ait Hosius — cuivis esse potest, quod *facere* etiam absque additamento significet offerre“<sup>3)</sup>. Deinde etiam dato non concessio „quod non aliter apud Hebraeos *facere* significet offerre, quam cum additamento“, huiusmodi additamentum in praecepto Christi inveniri ex contextu omnino apparet. Dum enim dicit *Hoc facite in meam commemorationem*, praemittit *hoc est corpus meum, quod pro vobis datur*. Quae cum ita sint elucet propositionem *Hoc facite in meam commemorationem* significare *In meam commemorationem offerte corpus meum*<sup>4)</sup>.

---

*facere* holocaustum in libro Regum, *facere* septem arietes et septem vitulos in Ezechiele legimus et in aliis multis locis ita invenimus usurpatum“. HOo I 115. — Hisce tamen locis examinatis fatendum est nonnullos eorum, scil. Num. 6, 10; Ezech. 43, 25. 27; 45, 22. 25. reapse sententiam auctoris probare, quia verbum עָשָׂה (*facere*) in sensu offerre adhibetur. Attamen in aliis indicatis locis (Exod. 20, 24; Lev. 23, 12; Judic. 6, 12. 26; III Reg. 8, 5. 62. 63) deest vocabulum עָשָׂה in sensu commemorato, sed ponitur verbum זָבַח (*immolare*). Immo Hosii referentis cum locis scripturisticis comparatis, possumus concludere episcopum Varmiensem in hoc argumento proponendo accurate et immediate respectivos scripturísticos textus non examinasse.

<sup>1)</sup> HOo I 115.

<sup>2)</sup> *Dialogus adversus Pelagianos*, lib. I n. 34; Migne, *Patrologiae cursus completus*, Series Latina (Abbr. M. L.) 23, 529.

<sup>3)</sup> HOo I 115. — Hosiana argumentatio ex S. Hieronymo est duplex: implicate S. Doctor l. c. adducens textum LXX, quae expressionem וְעָשָׂה אֵת הַזֶּבֶחַ (Lev. 9, 7) reddit in καὶ ποιήσον τὸ περὶ τῆς ἁμαρτίας σου ipse adhibet interpretationem „et *fac* pro peccato tuo“, quam tamen postea mutat in „et *immola* pro peccato tuo“; explicite autem Hosius vult indicare *facere pro peccato* in luce Hieronymianae interpretationis absque speciali additamento significare *facere sacrificium, vel immolare aliquam hostiam pro peccatis*.

<sup>4)</sup> HOo I 115.

Ast argumentum, ex solo praecepto Christi confectum — procedit Hosius ulterius — permaneret incompletum, nisi aliquo confirmaretur fundamento. Tale fundamentum est dogma Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech<sup>1)</sup>.

Iam in V. T. Melchisedech Christum - Sacerdotem praefigurabat. Cum vero natura sacerdotii ab indole sacrificii specificetur et S. Paulus diserte doceat Christum esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech<sup>2)</sup>, sequitur sacrificii Christi typum fuisse sacrificium Melchisedech, qui panem et vinum obtulit. Atqui nusquam alibi, praeter ultimam coenam hoc sacerdotio Christus functus est. „Nam in ea oblatione — dicit Hosius — quae facta est in ara crucis, magis expressa fuisse videtur figura sacerdotii secundum ordinem Aaron, quam secundum ordinem Melchisedech. Ibi enim cruentam victimam obtulit et se ipsum vere morti tradidit. Tales autem victimas offerebant sacerdotes secundum ordinem Aaron. At in novissima coena eandem illam hostiam corporis sui et sanguinis obtulit, sed sub iis, quae Melchisedech obtulerat antea panis et vini speciebus. Nihil aliud Melchisedech, quam panem ipsum et vinum, et Christus corpus et sanguinem suum sub panis et vini speciebus obtulit. Et sicut in ara crucis, qui finis legis est Christus, sacrificiis, quae sacerdotes Aaronitae (sic!) offerebant, finem imposuit, ita in novissima coena novum sacerdotium, novum sacrificium instituit secundum ordinem Melchisedech“<sup>3)</sup>.

Insuper Christum — ita argumentatur Hosius — in ultima coena cum suis Apostolis Pascha celebrasse constat. Cum vero ille, qui non venit solvere legem sed adimplere<sup>4)</sup>, celebraret iuxta eundem ritum, secundum quem agnus prius immolabatur, deinde comedebatur, „ut figurae veritas responderet, necesse fuit, ut... Christus prius offerret corpus suum et sanguinem Deo Patri, postea vero manducandum traderet“<sup>5)</sup>.

Ultimum denique argumentum, cuius suppositum exigit, ut figura respondeat rei praefiguratae, sumit Hosius ex eadem comparatione inter agnum paschalem V. T. (figura) et incontaminatum

<sup>1)</sup> HOo I 115.

<sup>2)</sup> Heb. 7, 17.

<sup>3)</sup> HOo I 115.

<sup>4)</sup> Mt. 5, 17.

<sup>5)</sup> HOo I 115.

Agnum N. T. — Jesum Christum, qui se ipsum in ara crucis oblaturus erat hostiam Deo Patri. Attamen haec figura non tam respondet rei gestae in ara crucis, sed magis ei, quae gesta est in ultima coena, nam Hebraeorum agnus immolatus fuit in recordationem eius beneficii, quo populus Israël liberatus erat de servitute Pharaonis et eductus de Aegypto. Immolatio vero agni immaculati, qua semetipsum obtulit hostiam in ara crucis, non fuit facta in recordationem alicuius beneficii, sed fuit — qua opus redemptionis generis humani — ipsum beneficium. Quamobrem necesse fuit, ut per illam immolationem agni paschalis alia quaedam, praeter illam in cruce peractam, immolatio significaretur, quae per Christum in ultima coena facta est, quam etiam a sacerdotibus fieri deinceps in suam commemorationem in passionis et mortis recordationem instituit. Sub hoc autem respectu adest similitudo inter agnum paschalem V. T., et sacrificium missae; cum enim immolatio agni paschalis fuerit in recordationem liberationis populi Israël ab iugo Aegyptiorum, sacrificium missae est quaedam grata „commemoratio immensi illius beneficii, quo Dei Filius, homo factus corpus suum ex virgine assumptum pro nobis in mortem tradidit, sanguinem suum in cruce fudit, ut mundum universum a peccato et ab aeterna damnatione liberaret“<sup>1)</sup>.

Hisce expositis elucet immolationem agni paschalis magis repraesentare Christi sacrificium in altari, quam in cruce oblatum, „nam — ait Hosius — sicut in Paschate Iudaeorum, ita et hic praeteritae redemptionis fit recordatio, in cruce autem ipsa praesens fit redemptio“<sup>2)</sup>.

Totius huius argumentationis ex N. T. fundamentale suppositum est — ut iam supra animadvertimus<sup>3)</sup> — dogma de Christi sacerdotio secundum ordinem Melchisedech. Christus litavit iuxta ordinem Melchisedech, quia, sicut ille panem et vinum sacrificavit, ita Christus sub speciebus panis et vini obtulit. Ordo igitur Melchisedech importat characteristicum ritum in pane et vino. Proinde eo ipso, quod Christus in coena obtulit in pane et vino, pragmatice declaravit se esse sacerdotem secundum ordinem Melchisedech<sup>4)</sup>. Sed pseudo-reformatores — quos Hosius in hac occasione

<sup>1)</sup> HOo I 116.

<sup>2)</sup> ibid.

<sup>3)</sup> Cf. p. 297.

<sup>4)</sup> Filograssi, *De Eucharistia*, Romae 1933, 253 s.

ministros satanae vocat — putant eiusmodi argumentationis methodum prorsus fundamento carere, quia Apostolus in comparatione inter Melchisedech et Christum delineata nullum verbum de oblatione panis et vini ex parte Melchisedech facit, dum de aliis circumstantiis, ad personam eius pertinentibus „accurate et propemodum scrupulose“ tractat<sup>1)</sup>.

Quomodo haec difficultas solvatur?

Primo — ut Hosius observat — ex silentio Scripturae de aliqua re non sequitur eiusdem rei negatio, praesertim cum in variis locis Apostolus diserte indicet se postea oretenus multa explicaturum esse, quia epistola mediante fideles non omnia recte capiunt. Hoc obtinet etiam in textu, ex quo difficultas derivatur (Heb. 5, 11 s). Aperte enim provocat S. Paulus ad inbecillitatem eorum, ad quos epistola dirigitur, quae „inbecillitas — ait — in causa fuit, quod lacte adhuc opus habeant, nec solido cibo uti poterant, quod non omnia ea, praesertim quae captum illorum excedebant, de Melchisedech Apostolus fuit persecutus“<sup>2)</sup>.

Insuper — procedit ulterius Hosius — considerandus est usus disciplinae arcani, quae silentium S. Pauli explicare potest et attendendum est in sacrificio missae momentum mysterii, propter quod missam aliqua ex parte occultam esse oportet<sup>3)</sup>.

Sed in Scriptura — instant adversarii — Melchisedech dicitur protulisse, non obtulisse, ergo deest sermo de oblatione, quae est totius comparationis fundamentum.

Ad hanc difficultatem solvendam provocat Hosius ad modum loquendi SS. Patrum, qui potius verbo proferre, quam offerre in sensu, de quo agitur, utuntur. Deinde memoratorum verborum significatione considerata colligitur nullam esse inter ea contradictionem, vel contrarietatem; immo verbum primum (proferre) sustentat expressionem secundam (offerre), quia nemo potest offerre, „nisi prius proferat, quod offerat“<sup>4)</sup>. Talis denique quaestionis explanatio non est aliena ab interpretatione Iudaeorum, quorum scriptores principales, Iosephus et Philo, motum problema sensu exposito explanant<sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> HOo I 116.

<sup>2)</sup> *ibid.*

<sup>3)</sup> HOo I 117.

<sup>4)</sup> *ibid.*

<sup>5)</sup> HOo I 118. — Fons argumentationis pro tempore Hosiano ex litteratura Iudaeorum fuit praeter varia scripta a Reuchlin edita, imprimis liber

„Quamobrem — dicit Hosius contra pseudo-reformatorum doctrinam — cum et mandatum Christi habeamus, dicentis *Hoc facite in meam commemorationem* et constet Christum sacerdotem fuisse secundum ordinem Melchisedech, neque reperiatur in Scripturis, ubi sit functus hoc sacerdotio praeterquam in coena, illud praeterea manifestum sit, quod in illa coena Pascha cum discipulis manducaverit, quod offerri, priusquam manducari iuxta ritum Iudaeorum consueverat, quis est, qui dicere iam audeat, sine Dei verbo cultum hunc institutum esse?“<sup>1)</sup>

Demonstratione Hosii scripturistica explanata, ulterius inquirendum est quomodo episcopus noster ad thesim suam probandam doctrina SS. Patrum usus sit.

2. **Argumenta patristica.** Pseudo-reformatoribus docentibus missam translato nomine in doctrina SS. Patrum sacrificium vocari<sup>2)</sup>, Hosius — praeter argumentationem ex S. Scriptura — doctrinam de sacrificii missae existentia diserte etiam patristicis argumentis probare conatur, ut demonstret se non enarrare sui cordis „visiones, verum, quae doctissimis viris iam inde a tot saeculis ea de re visa sunt“<sup>3)</sup>. Reapse considerata copia, permultorum testimoniorum, quae Hosius diligentissime ex operibus SS. PP. adduxit, absque dubio intelligi potest episcopum Varmiensem, retortis argumentis, suos adversarios eorundem propriis armis vincere velle.

Quomodo Hosius argumentum ex Traditione adhibeat?

Multum et κατ'ἐξοχὴν de Traditione docet Hosius praesertim in *Confessione* (cap. XCII „De Traditionibus“: HOo I 385—404), in opere *Confutatio Prologomenon Brentii* (lib. IV: HOo I 552—585) et in dissertationibus *De expresso Dei Verbo* (HOo I 611—643) et *De oppresso Dei Verbo* (HOo II 1—61), ubi hanc quaestionem sub respectu imprimis polemico considerat. Sed principia in locis commemoratis formaliter evoluta iam antea in materia de sacrificio missae adhibet.

---

Galatini Petri († 1540), *Opus de arcanis catholicae fidei*, Ortona 1518. Cf. Fabri, op. c. cap. VIII. f. 61 s. Hoc opus Galatini etiam Hosio non ignotum fuisse ex referentiis, quas adhibet, colligitur. HOo I 127.

<sup>1)</sup> HOo I 116.

<sup>2)</sup> Cf. supra p. 284. n. 3. art. 1.

<sup>3)</sup> HOo I 113.

In hac enim quaestione Hosii demonstratio ex Traditione assumpta sub variis respectibus est consideranda: traditio activa, seu modus transmissionis vel complexus personarum et actuum, quibus doctrina transmittitur et traditio obiectiva, seu ipsa doctrina, quae transmittitur. Ad Traditionem activam quod attinet, Hosius duo considerat: ipsum factum transmissionis huius doctrinae, quae tot SS. PP. testimoniis probatur et ab omnibus „qui eos (SS. PP.) usque ad haec nostra tempora secuti sunt unanimiter censuerunt, praedicaverunt, litteris etiam consignaverunt atque ad nos transmiserunt, vicissim a nobis ad posteros nostros transmittendum“<sup>1)</sup> et eius puritatem ac unitatem, quae non derivatur, nisi ex privilegio infallibilitatis, quia quod isti omnes „in tam diversis regionibus commorati, tanto et locorum et saeculorum intervallo disiuncti, quod nos tanto consensu docuerunt, non hominum hanc magis quam Dei per os Ecclesiae loquentis doctrinam existimare debemus“<sup>2)</sup>.

Permulti sunt Patres et theologi, ad quos Hosius in argumento ex traditione activa exponendo provocat. Adducuntur sequentes: Clemens Romanus († 97)<sup>3)</sup>, Martialis<sup>4)</sup>, Iustinus Martyr († 166 [?]), Irenaeus († 202), Clemens Alexandrinus († 215), Tertulianus († post 220), Hippolytus († 235), Origines († ca 255), Cyprianus († 258), Arnobius Senior (floruit ineunte s. IV). Eustathius (Patriarcha Antioch. † 337 [?]), Eusebius Caesareensis († 339), Eusebius Emessinus († 359)<sup>5)</sup>, Athanasius († 373), Ephraemus († 373), Basilius M. († 379), Cyrillus Hierosol. († 386).

<sup>1)</sup> HOo I 131.

<sup>2)</sup> ibid.

<sup>3)</sup> Hosius putat (HOo I 124 s.) Clementem R. esse auctorem operis *Constitutiones Apostolicae* (Διαταγαὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων), quod tamen ca. an. 400 in Syria ortum est. Sägmüller, *Lehrbuch des kath. Kirchenrechts*. Freiburg i. Br. 1926, 207.

<sup>4)</sup> Tempore Hosii theologi putabant episcopum Martialem, auctorem epistolae ad Burdegalenses, fuisse unum ex 72 discipulis Domini. Fabri, op. c. „Catalogus Patrum“; HOo I 124; Canisius, *Opus Catechisticum sive de Summa doctrinae christianae*. Parisiis 1585 (1 ed. 1569) 522.

<sup>5)</sup> Juxta opinionem sui temporis attribuit ei Hosius V homiliam de Paschate, cuius tamen auctor est potius Faustus Rhegiensis († post 485). M. L. 58, 877 s. Cf. Migne, *Patrologiae cursus completus, Series Graeca* (Abbr. M. G.) 86, 465.

Gregorius Nazian. († 390), Idacius Clarus<sup>1)</sup>, Gregorius Nyssenus<sup>2)</sup>, Ambrosius († 397), Epiphanius Salaminensis († 403), Joannes Chrysostomus († 407), Hieronymus († 420), Augustinus († 430), Theodoretus († 458), Leo M. († 461), Dionysius Areopagita<sup>3)</sup>, Gaudentius<sup>4)</sup>, Ischirion<sup>5)</sup>, Eucherius, episcopus Lugdunensis († ca an. 455), Isichius, episcopus Viennensis († 490 [?],<sup>6)</sup> Fulgentius Ruspensis († 532), Caesarius Arelatensis († 542)<sup>7)</sup>, Germanus, Patriarcha Constantinopolitanus († 733), Joannes Damascenus († 749 [?]), Albinus, Abbas Cantuariensis († 732)<sup>8)</sup>, Beda Venerabilis († 735), Symphonius Amalarius, episcopus Trevi-

---

<sup>1)</sup> Teste Bardenhewer (Geschichte der altchristlichen Literatur, Freiburg i. Br. 1900 I 373) anno 1528 editum est a quodam Sichardo opus, cui inscribitur: Idacius Clarus Hispanus, *Contra Varimadum Arianum*. Iam vero ab Hosio citatur et auctor et opus. Tamen adhuc certe nescimus qui fuerit iste Idacius Clarus. Ex opere enim Isidori Sevillensis (*De viris illustribus* c. 15.: M. L. 82, 168. Cf. ibid. 178) elucet Idacium fuisse Hispanum, qui „scripsit quendam librum sub apologetici specie, in quo detestanda Priscilliani dogmata et maleficiorum eius artes libidinumque eius probra“ demonstravit. Agitur, ut patet de Idacio episcopo Emeritano († ca 392). Utrum tamen Idacius Clarus identificetur cum hoc Idacio, an forse cum alio Idatio chronicario, episcopo Aquae Flaviae († 468) cum certitudine decidi nequit. Bardenhewer, op. c. I 373. Tamen propter indolem personalem atque varias circumstantias identitas cum Idacio ep. Emeritano praefenda est.

<sup>2)</sup> Annus mortis ignotus. Ultima de S. Gregorio Nyss. mentio ex an. 394.

<sup>3)</sup> Hosius de Dionysio Areop. dicit „proximus Apostolorum temporibus“ (HOo I 125). Quamvis iam saeculo praecedente Laurentius Valla († 1457) demonstraverit praefatum Dionysium non identificari cum eo a S. Paulo converso (Act 17, 34), tamen Hosius secutus est doctrinam suo tempore communem. Eck, *De sacrificio missae*, lib. III, Ingolstadii 1531. 17 s.; Idem, *Enchiridion*, Ingolstadii 1544, cap. 17; Fabri. op. c. 12 r.; Canisius, op. c. 522. Cochlaeus, *Sacerdotii ac Sacrificii N. L. Defensio*, Ingolstadii 1544. cap. III, fol. Ha. Casalius G., *De sacrificio missae...* Antverpiae 1573, 32.

<sup>4)</sup> Probabiliter non Martyr saec. IV, sed episcopus de Brescia, qui apud imperatorem Arcadium S. Joannem Chrysostomum defendere conatus est.

<sup>5)</sup> Diaconus in Concilio Chalcedonensi an. 451.

<sup>6)</sup> Hosius de eo dicit „Gregorii Nazianzeni discipulus“ (HOo I 125), quod — ut patet — ob chronologicas difficultates non admittitur.

<sup>7)</sup> Clarissimus sui temporis contionator, notus in concilio Arausicano II (Orange) an. 529.

<sup>8)</sup> Nominatus ab Hosio (HOo I 126) Bedae discipulus.

rensis († 837)<sup>1)</sup>, Haymon, episcopus Halberstatensis († 853), Rabanus (Hrabanus) Maurus, Abbas Fuldensis († 856), Remigius Antissiodorensis (Rémi d'Auxerre († 908), Adalbertus, episcopus Martyr († 997), Theophylactus<sup>2)</sup>, Stanislaus, episcopus Cracoviensis, Martyr († 1079), Landfrancus, archiepiscopus Cantuariensis († 1089), Guidmundus Aversinus (d'Aversa † 1095), Anselmus, archiepiscopus Cantuariensis († 1109), Algerus Leodiensis (de Liège † 1130), Hildebertus, episcopus Cenomanensis (de Lavardin † 1133)<sup>3)</sup>, Rupertus Abbas Tuitiensis (de Deutz † 1135), Richardus a S. Victore († 1141), Hugo a S. Victore († 1142), Bernardus Claraevalensis (de Clairveaux † 1153), Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis († 1156), Gratianus († 1156 [?]), Thomas Aquinatus († 1274), Cochlaeus Ioannes (Dobeneck † 1552), Michaël, episcopus Mersburgensis (Mich. Helling † 1561),

Ex tanto Patrum et theologorum adductorum numero diserte sequitur Hosium ad traditionem activam non solos magis notos Patres annumerare, sed alios minus notos, praesertim theologos, qui — quamquam suo tempore doctrina floruerant atque Ecclesiam catholicam litteris, vel verbis defenderant — postea oblivioni dati, vix mentionem aliquam in saeculo XVI invenerunt. Quapropter, quamvis nondum affirmetur Episcopum Varmiensem opera Scriptorum, quos citat, semper personaliter examinare, tamen, considerata eius accurata diligentia in scrutatione scriptorum SS. PP.<sup>4)</sup>, magna cum probabilitate concludimus eum saltem mediate auctores citatos cognovisse. Ceterum totius argumenti pro traditione activa vis non derivatur ex scriptis, sed ex traditionis organis, quorum actibus doctrina transmittitur.

<sup>1)</sup> Iuxta Hosium (HOo I 114) floruit 400 annis post Augustinum.

<sup>2)</sup> Fuit saeculo XI Archiepiscopus Achridensis in Bulgaria. Tempus mortis ignotum. Bardenhewer, op. c. V 101.

<sup>3)</sup> In eius scripto *Synodicus ad sacerdotes* (ML 171, 776) adhibita est expressio *transsubstantiatio*, quae postea in concilio Lateranensi IV approbata et in Tridentino definita fuit. Opinio eorum, qui dicunt Hildebertum prima vice hanc expressionem adhibuisse solido fundamento caret. — Gillmann, *Zur Geschichte des Gebrauchs der Ausdrücke transsubstantiare und transsubstantiatio*: Katholik 1908 II 417—420; De Ghellinck, *A propos du premier emploi du mot Transsubstantiation*: Recherches des Sc. Rel. II (1911) 466—472); III (1912) 255—270. Idem *Eucharistie*: Dictionn. de Théol. Cath. V 1287 s.

<sup>4)</sup> Frankl, op. c. 165 s.



Praeter scriptores ecclesiasticos utitur Hosius ad suam thesim demonstrandam etiam alio argumento. „Percurrere — ait — Ecclesiam totius orbis universam: Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Hungariam, Boëmiam, Insulas in mari Oceano, Angliam, Scotiam, Hiberniam, Suetiam, Norvegiam, deinde, quae sunt Mediterranei maris, Siciliam, Cretam, Cyprum, Rhodum, Sardiniam, Corsicam. Adde Graecos, Ruthenos, Moschos, tametsi iam schismaticos, adde quotquot in Syria et Armenia Christi nomen profitentur, adde postremo numerosissimos Indiae populos, toto propemodum orbe a nobis disiunctos. In omnibus his regnis et provinciis (praeterquam, si qui alicubi se viginti aut triginta his annis a Christo et ab eius corpore segregaverunt) iuge hoc sacrificium corporis et sanguinis Christi et nunc sacerdotes celebrare et ex quo tempore omnes isti populi Christum cognoverunt, numquam celebrare intermisisse reperies. Quod a Christo... institutum, ab eius Apostolis per longam successionem sacerdotum et Episcoporum per manus traditum et observatum in Ecclesia fuit, ad haec usque tempora et non prius intermittetur, quam finis mundi advenerit“<sup>1)</sup>.

Ad demonstrationem ex traditione activa adhibetur etiam s. d. „Lex orandi“. Pseudo-reformatoribus enim in variis occasionibus ecclesiasticos ritus tamquam theologorum commenta respuentibus, Hosius per latum et longum momentum liturgiae explanat<sup>2)</sup> atque ostendit vitam Ecclesiae liturgicam, prout comprehendit omnes caeremonias, quibus homo creatorem suum recte colit, fundari tum in natura humana, tum in lege ex parte Dei et Ecclesiae lata. Cum autem legem orandi legi credendi correspondere oporteat<sup>3)</sup>, iam ipsa liturgia, quippe quae praxim universalis Ecclesiae exprimat, est actus per quem doctrina revelata transmittitur. Quapropter Hosius prolato Scripturae textu<sup>4)</sup>, atque adductis testimoniis ex canonibus missarum tum ritus orientalis, tum occidentalis<sup>5)</sup>, concludit: „Sic videmus, quod non solum apud

<sup>1)</sup> HOo I 132.

<sup>2)</sup> Confessio cc. 86—91: HOo I 333—385.

<sup>3)</sup> „... obsecrationem... sacerdotalium sacramenta respiciamus... ut legem credendi lex statuatur supplicandi“. S. Coelestinus P. I. epist. ad episc. Galliae: M. L. 50, 535.

<sup>4)</sup> Hoc facite in meam commemorationem. Luc. 22, 19.

<sup>5)</sup> Adducitur ex Ecclesia orientali missa S. Jacobi Apostoli, S. Basilii, S. Joannis Chrysostomi, et liturgia Aethiopica, ex occidentali autem missa Romana, cuius auctor — iuxta Hosii sententiam — est Clemens Romanus et missa S. Ambrosii. HOo I 124.

Latinos, quin et apud Hebraeos (fuit enim Iacobus Hierosolymitanus episcopus) et apud Graecos et apud ipsos extremos Aethiopes numquam haec verba <sup>1)</sup> fuerunt secus intellecta<sup>2)</sup>.

Insuper praeter traditionem activam considerat Hosius in mota quaestione praesertim traditionem obiectivam seu ipsam doctrinam revelatam traditione transmissam. Cum autem doctrina revelata — ut ipse explicat <sup>3)</sup> — contineatur in Scriptura et traditione, relatio horum fontium mutua semper est attendenda. Potest enim eadem quaestio, quae in Scriptura continetur, etiam a traditione annuntiari, et quidem sub duplici respectu: traditio aut complectitur veritates in Scriptura iam explicite consignatas, quin aliquod novum eis addat, aut veritates implicite tantum in Scriptura contentas explicite proponit. In primo casu habetur traditio inhaesiva, in secundo declarativa. Non desunt denique veritates, quarum fons unicus est traditio, quae tunc vocatur constitutiva.

Cum fusior expositio Hosianae argumentationis ex traditione sub tribus enumeratis respectibus esset quodammodo tum repetitio demonstrationis scripturisticae iam factae (quia Hosius ad existentiam sacrificii missae probandam quod attinet praesertim traditione inhaesiva utitur), tum anticipatio quaestionum in sequentibus capitibus explanandarum, ubi imprimis traditio constitutiva multum valet, sufficit, si — brevitatis et claritatis causa — exponuntur propositiones de sacrificii missae existentia, quae — iuxta Hosium — etiam in doctrina SS. PP. fundatur.

Ipsius sacrificii missae institutionem in praecepto Christi *Hoc facite in meam commemorationem* (Lc 22, 19) fundari testantur Irenaeus, Tertullianus, Cyprianus, Eusebius Caesareensis, Gregorius Nyssenus, Ambrosius, Ioannes Chrysostomus, Augustinus, Theodoretus, Leo M., Dionysius Areopagita, Gaudentius, Isichius, Theophylactus, Rupertus. Ast vero Christus in ultima coena non tantum sacrificium ipsum instituit, sed etiam plane eiusdem formam determinavit. Etenim cum Scriptura manifesto dicat — quod iam supra consideratum fuit <sup>4)</sup> — Christum celebrasse secundum ordinem Melchisedech et nulla in N. T. praeter ultimam coenam mentio de sacerdotali Christi functione inveniatur, sequitur Divinum Sa-

<sup>1)</sup> Lc 22, 19.

<sup>2)</sup> HOo I 124.

<sup>3)</sup> Frankl, op. c. 134.

<sup>4)</sup> Cf. p. 297 s.

cerdotem in hac ultima coena sub speciebus panis et vini semetipsum Patri coelesti obtulisse. Hanc argumentationis methodum doctrinam traditionis esse testantur facunde adducti scriptores, scilicet Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Arnobius Sen., Eusebius Caes., Ambrosius, Ioannes Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Eucherius, Ioannes Damascenus, Albinus, Beda Venerabilis, Rupertus Tuitiensis. Insuper scriptores ecclesiastici bene observant, quomodo et in quantum idea sacrificialis N. T. iam non tantum adumbretur, verum etiam clara luce depingatur in V. T. Ad hanc propositionem demonstrandam adducit Hosius Irenaeum, Hippolytum, Ephraemum, Eusebium Caes., Ioannem Chrysostomum, Augustinum, Remigium Antissiodorensis. Denique difficultatem ex locutione S. Pauli (Heb. 7, 1—11) derivatam<sup>1)</sup>, conatur Hosius solvere testimoniis auctoritatum adiuvantibus. Hac in re exponuntur sententiae, quin detur decisio<sup>2)</sup>. Hieronymus — ut Hosius testatur — utitur principio, iuxta quod ex silentio nulla sequitur negatio; alii — ut Basilius, Gregorius Nazianz., Ioannes Chrysostomus — ad disciplinam arcani provocant; denique Augustinus causam silentii ex parte S. Pauli affert sublimitatem mysterii sacrificii missae, quod — ob ruditatem fidelium in rebus fidei — tempore S. Pauli non omni ex parte communiter notum fuit<sup>3)</sup>.

Ad ipsum „citationum“ valorem quod attinet sedulo est animadvertendum scriptorum testimoniis adductis — textu et contextu eorum considerato — revera rem demonstrandam probari. Fatendum est tamen, comparatis hisce citationibus in scriptis Hosii contentis cum respectivis locis editionis Mignianae, apparere quandoque differentias tum in indicatione libri vel capitis alicuius operis citati, tum in ipso textu. Hae ultimae autem sunt rarissimae atque dumtaxat accidentales. Etenim noster episcopus cum in scriptis SS. PP. ipse versatissimus fuerit, utebatur optimis eorundem operum editionibus tunc temporis notis.

**3. Argumenta ex ratione theologica.** — Variis ponderatis argumentis, quae tum ex Scriptura tum ex traditione procedunt, minime negligit Hosius rationes, quae per modum conclusionum theologiarum ex supra allatis deducuntur.

<sup>1)</sup> Cf. supra p. 298 s.

<sup>2)</sup> HOo I 117.

<sup>3)</sup> Ibid. Hac de re fusius erit sermo in quaestione, quae sacrificii missae essentiam physicam considerat. Cf. infra p. 311 s.

Contra opiniones adversariorum, qui ideam sacrificalem respuentes, ad cultus veri essentiam atque integritatem solam manducationem rei oblatae requiri et sufficere dicebant, quia ipsemet Christus non offerri sed manducari tantum suam carnem et bibi tantum suum sanguinem praecepit, variis V. T. expositis sacrificii exemplis (Abel, Noë, Abraham, Iob), in quibus de sola oblatione sermo occurrit, concludit, ad essentiam veri sacrificii oblationem requiri<sup>1)</sup>.

Idem sequitur etiam ex unitate quae adest inter sacrificium missae quotidianae, et sacrificium Salvatoris in ultima coena et in cruce oblatum. „Sicut coena nostra — ait — non esset commemoratio coenae Dominicae, imagoque illius et exemplar, nisi vere manducaremus, ita nec Eucharistia nostra verum exemplar et imago foret sacrificii, quod in cruce Christus obtulit, nisi vere sacrificaremus... Quod si Christi sanguis offertur in hoc mysterio, quis iam negare poterit, quin id vere sit sacrificium etiam si nihilominus exemplar sit illius hostiae cruentae, cum in pretium redemptionis nostrae profusus Christi sanguis in ara crucis offerebatur“<sup>2)</sup>.

Item analogia V. et N. T. considerata existentia sacrificii missae probatur. Quia sicut oblatione in cruce praevisa non fuerunt sublata sacrificia, quae ante vel post legem Deo pro peccatis offerebantur, sed potius Deo fuerunt grata, quatenus sacrificium in ara crucis praevisum praefigurabant, ita per eandem oblationem in cruce exhibitam non tollitur quotidianum sacrificium, quod est Deo tanto magis acceptum, quanto crebrius et religiosius memoria oblationis in ara crucis factae repraesentatur<sup>3)</sup>.

Denique variarum gentium moribus perpensis, absque difficultate intelligi potest *quod offerre Deo externum sacrificium* esse aliquam legem generalem et vix aliquis historia teste invenitur princeps, qui sibi sacrificare praecipiat. In hoc enim consistit „discrimen inter divinam maiestatem et inter mundi principes“, ut, cum Deo cultus per sacrificium debeatur, pro principibus et communiter summam in aliqua societate potestatem habentibus peculiaris quidem adest reverentiae forma, absque tamen oblatione sacrificali<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> HOo I 115.

<sup>2)</sup> HOo I 119.

<sup>3)</sup> *ibid.*

<sup>4)</sup> HOo I 132.

Proinde studium eorum, qui sacrificium missae auferre conantur, ad remotionem totius verae religionis tendit, et e contra probatio existentiae huius sacrificii divinitus instituti pertinet ad quaestiones fundamentales religionis christianae<sup>1)</sup>.

### III.

Probata sacrificii missae existentia, eius **natura** explananda remanet. Etenim — ut ex supra dictis etiam ab Hosio recensitis apparet — principalis ratio, ob quam pseudo-reformatores sacrificium missae respuere conabantur, non fuit nisi haec, ne hoc sacrificium sacrificio crucis derogeret. Quapropter relatio missae ad crucem est problema centrale totius quaestionis, in qua essentia sacrificii missae consideratur.

Maioris tamen claritatis gratia, antequam per modum syntheses haec relatio exponatur, ipsius sacrificii crucis et missae natura interna inquisitioni subiicienda est.

1. **Sacrificium crucis.** Cum unus sit Dei et hominum mediator<sup>2)</sup>, sequitur omnia media, quae ad reconciliationem inter Deum et homines perficiendam tendunt, totam vim suam ad hanc reconciliationem perficiendam non accipere, nisi ab hoc supremo Mediatore. Iamvero Christus hanc reconciliationem perfecit in ara crucis, ex qua „quotquot... ab origine mundi salutem consecuti sunt, quotquot deinceps etiam ad finem usque saeculi salutem consequentur, non per alium consecuti sunt et consequentur, quam per agnum hunc pro nobis immolatum“<sup>3)</sup>. Quapropter idea principalis, ex qua Hosius procedit, et ad quam semper revertitur, est sacrificium Salvatoris in cruce peractum, ad quod referuntur omnia sacrificia V. T., quae vel ante legem, vel sub lege Deo offerebantur, quae sacrificium N. T. praefigurabant, quaeque proinde eatenus valebant, quatenus referebantur ad praevium illud in ara crucis sacrificium, a quo totam vim hauriebant<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> HOo I 113 s.

<sup>2)</sup> I Tim, 2, 6.

<sup>3)</sup> HOo I 114.

<sup>4)</sup> „Huius... sacrificii caro et sanguis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur... Quod ergo per figuras fuit significatum et promissum et naturae et legis tempore, hoc in cruce redditum...

Haec actio divini Mediatoris tanta gaudet exclusivitate, ut nemo praeter vim, quae ab ea derivatur, reconciliationem cum Deo assequi possit. Intuitu enim huius tantum sacrificii homines per oblationes, antequam Christus incarnatus est factas, omnia dona, quae ad ordinem supernaturalem pertinent, a Deo acceperunt<sup>1)</sup>.

Ast vero sacrificium crucis non est tantum terminus ad quem referuntur et ex quo tamquam ex fonte vim hauriunt sacrificia V. T., sed etiam, — cum actio sacrificialis Christi sit medium ad salutem assequendam absolute necessarium — omnia media, quae in N. T. hominem cum Deo reconciliare possunt, vim suam ad hoc necessariam ab eodem sacrificio acquirunt<sup>2)</sup>. Quamvis enim Christus omnia, quae nobis ad salutem sunt necessaria, sufficienter meruit, tamen, qui vult meriti eius particeps fieri „ad eum accedat necesse est“<sup>3)</sup>. Accedere autem ad hoc sacrificium nemo potest, nisi ope mediorum, quibus Redemptor fructus redemptionis suae cum redemptis communicare vult. Principalem vero inter haec media locum obtinet sacrificium missae, cuius naturam Hosius fusius explicat.

---

Sacrificia priscorum figura tantum fuerunt et adumbratio (sacrificii Novae Legis)... Hoc est illud sacrificium, illud inquam unicum et singulare sacrificium, quod adumbrabant, cuius figuram gerebant varia illa Patrum sacrificia, quae et naturae et legis tempore fuerunt“. HOo I 114.

<sup>1)</sup> „...confitemur et quidem libenter cum Ecclesia Dei confitemur, quod solus Christus per illud in ara crucis oblatum sacrificium, Deo Patri suo cumulate satisfecit, peccatorum nostrorum remissionem, cum Deo Patre reconciliationem, filiorum eius adoptionem, regni coelestis haereditatem, nobis sufficienter promeruit. Addimus et hoc, quod ad haec omnia denuo promerenda, nullis sacramentis, nullis sacrificiis, nullis operibus nostris opus nobis est; quod haec omnia, tradens semetipsum pro nobis hostiam et oblationem Deo in odorem suavitatis, abunde nobis Christus promeruit“. HOo I 123; cf. HOo I 190.

<sup>2)</sup> „Scias ...quocumque tempore ab initio mundi usque ad finem nullum fuisse virum bonum, nisi iustificatum per gratiam. Gratiam autem numquam adipisci potuisse, nisi per Christum ita, ut homines sive praecedentes, sive subsequentes uno sanctificationis remedio salvatos agnoscas... Nec ullus umquam iustificatus, aut sanctificatus est, nisi per unam illam oblationem, in ara crucis, vel praevisam vel exhibitam. Sed nec deinceps quemquam iustificatum et sanctificatum iri, nisi per unam illam oblationem iam exhibitam“ HOo I 118. Cf. ibid. 123.

<sup>3)</sup> HOo I 122.

2. **Sacrificium missae.** Considerata igitur sacrificii Christi, in cruce oblatis sufficientia absoluta atque efficacia in quolibet vero sacrificio, quo Deus colitur, statim exurgit difficultas quoad sacrificii missae necessitatem. Si enim sacrificium crucis est fons necessarius pro cuiuslibet sacrificii veri efficacia et consequenter si quotidianum sacrificium sacerdotale totam suam vim non haurit, nisi ex sacrificio crucis, quaenam sit ratio existentiae huius quotidiani sacrificii?

Hosius praesertim summa ope enititur, ut demonstret iuxta orthodoxam doctrinam per sacrificium missae nihil novi denuo promereri, sed id, quod iam pridem a Christo in ara crucis promeritum est, in fideles transferri eisque applicari<sup>1)</sup>).

Sed quomodo?

Ad quaestionem recte illustrandam primo utitur Hosius exemplo. In aliqua civitate — en tenor eius argumentationis — est magnus fons, omnibus expositus, a quo nemo arcetur, quin eo libere uti possit. Est ita copiosus et redundans, ut possit omnium sordes abluere et omnium sedare sitim, omnibus omnium necessitatibus satisfacere. Ut reipsa tamen aliquis homo fructum ex hoc fonte capere possit, debet ad eum accedere vel immediate vel aliquo instrumento adiuvante. Ita res se habet cum fonte supernaturali, scilicet redemptione a Christo peracta. „Est fons — dicit Hosius — fons copiosus et redundans, qui ad abluenda totius mundi peccata ad salutem omnibus mortalibus conferendam prorsus sufficit. Sed, si vis usum aliquem huius fontis habere, si vis fructum ex eo consequi, necesse est, ut ad Christi latus, in cruce pendentis fistulam applices et per eam, qui solus peccata nostra abluit, salutem nobis confert, Christi sanguinem ad te derives atque attrahas, ut per eum ablutus et sanctificatus, aeternam beatitudinem adipisci queas; non ipsius fistulae sive canalis, verum Christi sanguinis te per canalem irrigantis virtute“<sup>2)</sup>). Eiusmodi autem canalis est missa, per quam fidelibus applicantur et appropriantur fructus sacrificii in cruce peracti. Quapropter false adversarii impingunt per quotidianum hoc sacrificium illud in cruce peractum obscurari

<sup>1)</sup> „Quidquid est propitiationis, illi soli tribuatur hostiae, quae pro nobis in cruce mactata est, qua una consummavit in aeternum sanctificatos“. HOo I 742. Cf. ibid. 123.

<sup>2)</sup> HOo I 123.

eiusque dignitati detrahi „cum nihil aliud quaeratur, a nobis in hoc quotidiano sacrificio, quam, ut quod Christus nobis promeruit unica illa oblatione in cruce facta, id in nos transferre et eo ad salutem nostram uti queamus“<sup>1)</sup>. Deinde Hosius ostendit hanc doctrinam diserte fundatam esse in scriptis SS. PP. necnon in „perpetua Ecclesiae sententia“<sup>2)</sup>. Haec „perpetua Ecclesiae sententia“ elucet praesertim ex liturgiis, iam ad probandam missae existentiam adductis<sup>3)</sup>, in quibus post prolationem verborum *Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis* recitantur verba saltem quoad sensum *Ergo memores gloriosissimae eius passionis et ab inferis resurrectionis et in coelum ascensionis offerimus tibi hanc immaculatam hostiam etc.*

Hoc *Memores*, Μερννημένα, Ἀνάμνησις, quod est vinculum liturgiae sacrificii missae cum sacrificio Salvatoris in cruce oblato<sup>4)</sup>, interpretatur a Patribus in eodem sensu, in quo a canone missae cuiuslibet ritus adhibitum est.

Quinam sit sensus huius expressionis?

Ut mens Hosii recte intelligatur exponenda est doctrina eius de sacrificii missae essentia tum physica tum metaphysica.

Communiter iam hodie docetur essentiam sacrificii physicam vel id, quod partem sacrificii essentialem constituit, esse solam utriusque speciei, scilicet panis et vini consecrationem. Tamen in saeculo XVI non una hac de re fuit theologorum sententia<sup>5)</sup>. Quanam sit Hosii positio?

Confitendum est quidem absque dubio episcopum Varmiensem hanc quaestionem ex professo non tractare, nihilominus tamen ex iis quae dixit sententia eius hac de re exponi potest.

Pseudo-reformatores s. XVI — ut iam supra notatum est<sup>6)</sup> — insistebant Christum nusquam praecepisse offerri sed manducari tantum carnem et bibi tantum sanguinem. Unde ad veri sacrificii

<sup>1)</sup> HOo I 123.

<sup>2)</sup> ibid.

<sup>3)</sup> Cf. supra p. 304 s.

<sup>4)</sup> Casel O., *Das Mysteriengedächtnis der Messliturgie im Lichte der Tradition*: Jahrbuch für Liturgiewissenschaft VI (1926) 114—204.

<sup>5)</sup> Cardinalis Contarini confitetur se invenire „paucos authores, qui bene prodiderint scriptis suis quidnam sit sacrificium“ *De Sacramentis christianae legis et catholicae Ecclesiae*, Lovanii 1556, lib. 2. c. 3: Contarini, Opera Parisiis 1571, p. 357.

<sup>6)</sup> Cf. p. 284. n. 3. articulus 3.



notionem pertinet sola manducatio<sup>1)</sup>. Iamvero Hosius, qui vim sacrificii missae praesertim<sup>2)</sup> in oblatione posuit, minime negare videtur — ut ex variis eius expressionibus eluceret — manducationem quoque ad sacrificium pertinere et quidem vi institutionis divinae<sup>3)</sup>. Quaestione tamen profundius considerata tum in SS. PP. adductis testimoniis, tum in earum explanatione magna cum probabilitate, vix non certe sequitur ad essentiam sacrificii missae physicam — iuxta Hosii doctrinam — communionem non requiri.

Etenim Gregorius Nyssenus, cuius sententiam Hosius exponit et sequitur „docet, quod in illa coena novissima (Christus) se obtulerit his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*. Qui prodominica (!) potestate et auctoritate administrat omnia, non expectat vel ex proditione necessitatem, vel Iudaeos grassantes... Verum praecoccupat oeconomia quadam violentum impetum et iuxta quendam ineffabilis sacrificii modum et qui ab hominibus cerni nequit, seipsum offert oblationem et hostiam pro nobis, idem simul et sacerdos et agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Quando autem id fecit? Quando tale suum corpus effecit, ut manducari, talem sanguinem, ut potari posset a suis familiaribus“<sup>4)</sup>. In textu

<sup>1)</sup> HOo I 114 s.

<sup>2)</sup> Non agitur hic de oblatione ante praefationem.

<sup>3)</sup> „Clarum est enim et apertum Dei verbum *Hoc facite in meam commemorationem*, quo non illud modo praecipit Deus, ut distribuatur sacramentum corporis et sanguinis eius, verum etiam, ut benedicatur, sive consecretur, ac deinde immoletur, immolatum vero manducetur“ HOo I 115. Insuper certum est Christum Pascha iuxta legis praescriptionem celebrasse. Iamvero lex V. T. exposcebat, ut agnus paschalis primo offerretur et postea demum comedatur. Propterea Christus, qui semetipsum in ara crucis oblaturus hostiam, primo (in ultima coena) obtulit corpus et sanguinem suum Deo Patri, oblatumque vero discipulis suis manducatum tradidit. *Ibid.* Denique sacrificium quotidianum duplicem habet relationem: per oblationem accedit ad sacrificium crucis, per communionem autem ad missam Domini in coenaculo. HOo I 119.

<sup>4)</sup> HOo I 125. Hosius praebet solam *paraphrasim* textus, qui in versione latina ita sonat. „Qui enim potestate sua cuncta disponit, non ex proditione sibi impendentem necessitatem, non Iudaeorum quasi praedonum impetum, non iniquam Pilati sententiam expectat, ut eorum malitia sit communis hominum salutis principium et causa; sed consilio suo avertit et arcano sacrificii genere, quod ab hominibus cerni non poterat, seipsum pro nobis hostiam offert et victimam immolat, sacerdos simul existens et agnus Dei, ille, qui mundi peccatum tollit. Quando id praestitit?

allato est sermo de sacrificio Domini in ultima coena (de communione nihil dicitur), deinde consideratur momentum in quo hoc sacrificium incipit esse. Iamvero tam textu S. Gregorii Nyss. examinato, quam ponderata Hosii explicatione elucet sacrificium tum esse perfectum, cum Christus corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini manducandum Apostolis praebuit. Hoc autem factum est iam in ipso momento consecrationis.

Certum est deinde oblationem Christi in cruce peractam habere rationem sacrificii. In missa autem sacerdotali fit commemoratio huius sacrificii cruenti et in hac commemoratione et repraesentatione — ut infra sermo occurrit — etiam essentia sacrificii missae metaphysica consistit. Unde communio ad essentiam physicam non pertinet<sup>1)</sup>.

Idem sequitur etiam ex actione sacrificali Melchisedech, qui Deo verum obtulit sacrificium. Iamvero — Scriptura teste — totum hoc sacrificium missae in oblatione tamquam parte constitutiva essentiali consistit. Oblatio autem — ut ex ratione praecedenti apparet — perficitur per ipsam consecrationem<sup>2)</sup>.

Contineaturne tamen essentia physica sacrificii missae in ipsa consecratione? Non deest enim in opere Hosii textus, ex quo sequi videatur commemoratam essentiam consecratione et immolatione constare<sup>3)</sup>.

Astvero, quamvis Hosius oblationem ponat post consecrationem et putare videatur eam esse aliquod a consecratione distinctum corpus suum discipulis congregatis edendum et sanguinem bibendum praebuit, tunc aperte declaravit agni sacrificium iam esse perfectum“ *Oratio in Christi resurrectionem*: M. G. 46, 611. Similiter Theophylactus, cuius testimonium ab Hosio quoque adhibitum ita sonat: „Quinta vespera fecit Dominus coenam et discipulis suis dixit: *Accipite et comedite corpus meum* et ita, quia potestatem habebat ponere animam suam, manifestum, quod tunc immolaverit seipsum, ex quo tradidit discipulis corpus suum“. *Enarratio in Evangelium Matthaei* c. 28: M. G. 123, 479. — Textus ab Hosio (HOo I 125) adductus concordat omnino cum editione Migniana.

<sup>1)</sup> HOo I 119.

<sup>2)</sup> HOo I 126 s. — Hanc propositionem Hosius probat praesertim textu ex 3. epistola S. Cypriani allato, ubi S. Episcopus, alludendo ad locutionem s. Pauli (Heb. 7, 17), exponit rationem, propter quam Christus vocatur sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Haec autem non consistit, nisi in similitudine oblationis. Melchisedech enim obtulit panem et vinum, Christus autem semetipsum immolavit sub panis et vini speciebus. HOo I 124. Textus S. Cypriani: M. L. 4, 370.

<sup>3)</sup> Cf. supra p. 312. n. 3.

tinctum<sup>1)</sup> tamen quaestione fusius considerata, colligitur oblationem et consecrationem eandem rem esse. „Dominus noster — dicit Hosius — non tum solum, vel tunc primum immolatus est, sed et pridie quam pateretur, quando accipiens panem et calicem, benedixit et dedit discipulis suis dicens: *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*, suis manibus immolatus est; suis ipse manibus nobis iugiter, ut immolaretur agnus commendatus est“<sup>2)</sup>.

Hisce perpensis magna cum probabilitate concludimus essentiam sacrificii missae physicam iuxta Hosii doctrinam in sola utriusque speciei consecratione consistere.

Hac quaestione absoluta ulterius essentia huius sacrificii metaphysica remanet explananda, videlicet inquirendum est, quam ob causam et sub quo respectu in consecratione utriusque speciei ratio sacrificii verificetur.

Fatendum est quidem, sicut essentia physica, etiam essentiam metaphysicam in Hosii scriptis explicita expositione carere. Eis tamen, quae obiter dicta sunt, examinatis, mens episcopi nostri quadamtenus clara evadit.

„Ut autem intelligi possit — dicit Hosius — qua ratione (missa) sacrificium vocetur, paucis, non capitis nostri somnia, neque cordis nostri visiones, verum, quae doctissimis, gravissimisque viris iam inde a tot saeculis ea de re visa sunt, enarrabimus“<sup>3)</sup>. Hoc modo iam satis clare indicat fontes suae doctrinae eamque ipsam aliquatenus exponit. Quapropter sententia eius circa motum problema nequit recte intelligi, nisi in luce fontium, ex quibus derivatur.

Suppositum totius quaestionis est definitio sacrificii missae a S. Augustino assumpta. „Sacrificium visibile — repetit post Augustinum<sup>4)</sup> Hosius — invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est“<sup>5)</sup>. Hoc autem signum non est qualecumque,

<sup>1)</sup> Lepin, L'idée du sacrifice de la Messe, Paris 1926, 272.

<sup>2)</sup> HOo I 125.

<sup>3)</sup> HOo I 113.

<sup>4)</sup> De Civitate Dei l. 10, c. 5: M. L. 41, 282.

<sup>5)</sup> HOo I 113. — Eandem definitionem missae habent plures theologi saec. XVI. Non desunt tamen, qui praeferunt aliam definitionem, quam ex s. Isidoro Sev. acceperunt, videlicet „missa est facere aliquod sacrum“. Renz, Die Geschichte des Messopfer-Begriffs, Freising 1902. Bd. II, 158 s. Lepin, op. c. 282; Rivière, op. c. 1107.

sed gratiae invisibilis, „quae in visibili elemento confertur“, videlicet continet gratiam, quam suscipientibus confert<sup>1)</sup>). Insuper vi huius signi „et praeteritorum admonemur et praesentium et futurorum. Admonemur eius, quae praeteriit, Christi passionis, ex qua virtutem habent omnia sacramenta; admonemur praesentis gratiae, quae nobis confertur sacramenta sumentibus; admonemur futurae gloriae, cuius quasi pignora quaedam sunt, quod per illa nos ad illam perventuros certam spem concipimus“<sup>2)</sup>). Ex hac ergo sacrificii definitione procedendo, dicit Hosius missam esse sacrum signum illius sacrificii, quo Christus in cruce semetipsum visibiliter Deo obtulit<sup>3)</sup>). Quapropter quotidianum sacrificium sacerdotale est sacrum signum, „quo admonemur illius sacrificii, quod non videmus, quod in cruce pro nobis peractum est“<sup>4)</sup>).

Insuper ex prolata sacrificii definitione sequitur tunc demum hoc sacrificium recte Deo offerri „cum illius in cordibus nostris invisibile sacrificium ipsi facti fuerimus“<sup>5)</sup>). Occasio huius sententiae fuit obiectio heterodoxorum, qui dixerunt iuxta doctrinam catholicorum ipsos ritus tantum valere, ut absque hominis labore eundem iustificare possit (ex opere operato). Quam ob causam Hosius saepe indicat sacrificium cordis (internum), vi cuius homo disponatur ad fructus sacrificii missae percipiendos. Cum autem missa sit signum sacrificii in cruce peracti, in luce ideae corporis Christi mystici, quae est idea fundamentalis totius Hosianae

---

<sup>1)</sup> HOo I 73.

<sup>2)</sup> Ibid. — Animadvertendum est quod de sacramento dixerit S. Thomas „...Sacramentum — ait — est et signum rememorativum eius, quod praecessit, scilicet passionis Christi, et demonstrativum eius quod in nobis efficitur per Christi passionem, scilicet gratiae, et prognosticum, idest praenuntiativum futurae gloriae“. Summa Theol. III q. 60 a 3. — Cum Hosius non tantum cum Patribus, verum etiam cum theologis scholasticis versaretur, fons considerationis de sacramenti notione, quam affert — quamvis non citetur — probabiliter est allatus textus S. Thomae.

<sup>3)</sup> HOo I 113. — Et alio loco ita dicit: „Quid aliud est hoc tremendum, de quo nunc agimus, Missae sacrificium, quam Christi beneficiorum brevis quaedam commemoratio et quasi sub oculis subiectio? Praesertim illius immensi mortis et crucis beneficii, quo nullum praestari nobis maius potuit“. HOo I 742.

<sup>4)</sup> HOo I 114.

<sup>5)</sup> ibid.

theologiae<sup>1)</sup>, oritur duplex quoddam sacrificium, videlicet oblatio Christi per Ecclesiam et Ecclesiae per Christum<sup>2)</sup>.

In ipso sacrificio missae consequenter ad notionem sacramenti, inveniuntur tres „admonitiones“: primo „admonemur praeteritae Christi passionis... Atque hac ratione vocatur hoc sacramentum sacrificium... Admonemur praesentis unitatis, quam hoc sacramentum efficit, atque ita vocatur... communio, quod per illud... Christum communicamus... Admonemur postremo eius, quod futurum est... Hac ratione vocatur viaticum“<sup>3)</sup>.

Cum tam communio, quam eo magis viaticum, sit — ut ex supra dictis apparet — extra essentiam physicam sacrificii missae, manet sola „admonitio“ prima, ex qua sat clare elucet missam ob hanc rationem sacrificium vocari, quia commemorat sacrificium Christi in cruce oblatum.

Praeterea adducto Ioannis Chrysostomi testimonio<sup>4)</sup>, in quo S. Episcopus suam circa missae essentiam doctrinam exposuit, ita

<sup>1)</sup> Frankl, op. c., 108 s.

<sup>2)</sup> „Hoc est, quod ex Augustino adduximus: Sacramentum in cruce peracti sacrificii esse quotidianum sacrificium Ecclesiae, cum ipsius corporis ipse sit caput Christus et ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam consuetus offerri. Quo in loco non obscure illud indicat et Ecclesiam per Christum et Christum offerri per Ecclesiam, quae, nisi capite suo Christo fide sit et caritate connexa, ex ea oblatione, cuius repraesentatio sit in altari fructus percipi potest nullus“. HOo I 114. — Hosius alludit praesertim ad textum S. Augustini (Contra Faustum Man. I. 20, c. 18: M. L. 42, 835), in quo etiam sacrificii missae definitio consideratur. Sunt tamen permulta alia huius S. Doctoris testimonia, quae — quamvis ab Hosio formaliter non sint citata — materialiter praecipuum fontem Hosianae argumentationis constituunt. Cf. Trom S., *De Spiritu S. Anima Corporis Mystici. Testimonia selecta a Patribus latinis*. Romae 1932. Mersch, *Le Corps mystique du Christ, Étude de théologie historique*, Louvain 1933, II 80—131.

<sup>3)</sup> HOo I 113.

<sup>4)</sup> In epistolam ad Hebr. hom. 17: M. G. 63, 131. „Quid vero? — dicit Chrysostomus I. c. — annon quotidie offerimus? Offerimus quidem, sed eius mortem revocamus in memoriam (ἀνάμνησιν ποιούμενοι τοῦ θανάτου αὐτοῦ) et ipsa una est, non multae... Quoniam semel fuit oblata, sicut illa fuit in sancta sanctorum. Hoc est figura illius et ipsa istius (Τοῦτο ἐκεῖνης τύπος ἐστὶ, καὶ αὐτῆ ἐκεῖνης); eundem enim semper offerimus non nunc aliam cras aliam ovem, sed semper eandem. Quamobrem unum est sacrificium propter hanc rationem, alioquin hac ratione, quoniam multis in locis offertur, multique sunt Christi? Nequaquam, sed unus ubique Christus, qui et hic est plenus et illic plenus, unum corpus. Ut ergo multis in locis oblatum unum est cor-

Hosius concludit: „Quid dici potuit clarius ad quotidiani sacrificii nostri rationem explicandam?... Primum discrimen ostendit inter sacrificium, quod offert(ur) a nobis in altari quotidie et quod in in cruce semel est oblatum a Christo numquam ad eundem modum amplius offerendum, quod illud in mortem oblatum sit, hoc fiat in mortis recordationem. Deinde eandem hanc et illam hostiam esse demonstrat; idem enim verum et vivum corpus immolatur in altari, quod semel in ara crucis fuit immolatum, quamvis immolationis eadem ratio non est. Propterea sacrificium hoc vocat exemplar illius, quod in cruce peractum est. Ibi enim vere oblatum, vere passus, vere mortuus est Christus; hic eorum, quae ibi facta sunt fit repraesentatio“<sup>1)</sup>. Alibi autem, alludendo ad Christi praeceptum *Hoc facite in meam commemorationem*, manifeste dicit Deum velle ad memoriam sacrificii in cruce peracti, hoc quotidianum sacrificium perpetuo in Ecclesia celebrari, „ut iugiter coleretur per mysterium, quod semel offerebatur in pretium et illa perennis victima viveret in memoria et praesens esset semper in gratia“<sup>2)</sup>.

Etenim tum ex adhibito S. Ioannis Chrysostomi textu, tum ex eius interpretatione, tum denique ex tota sacrificii missae ad

---

pus, et non multa corpora, ita etiam unum est sacrificium. Pontifex noster ille est, qui obtulit hostiam, quae nos mundat. Illam nunc quoque offerimus, quae tunc fuit oblata, quae non potest consumi. Hoc (τοῦτο) fit in recordationem eius quod tunc factum est: *Hoc enim facite*, inquit, *in meam commemorationem* (Lc. 22, 19). Non aliam hostiam, sicut pontifex, sed eandem semper facimus, vel potius sacrificii facimus commemorationem. (Ὁὐκ ἄλλην θυσίαν, καθάπερ ὁ ἀρχιερεὺς πότε, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν αἰεὶ ποιούμεν. μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας)<sup>4</sup>. — Ex unitate ergo hostiae sacrificii crucis et altaris procedendo concludit S. Doctor identitatem esse inter sacrificium in cruce oblatum et sacrificium quotidianum sacerdotale, quod est illius tantum commemoratio (ἀνάμνησις). — Utrum tamen hic sit sermo de identitate specifica tantum, an numerica disputatur. Casel, op. c. 152; Idem, *Mysteriengegenwart*: Jahrb. f. Litwiss. 8 (1928) 145 s.; U m b e r g, *Die These von der Mysteriengegenwart*: Zeitschrift für kath. Theol. 52 (1928) 381 s. — Ad citationem huius textus ab Hosio adducti quod attinet animadvertendum est inter editionem Mignianam et versionem ab episcopo nostro allatam esse aliquas differentias, quae tamen sensum textus intactum relinquunt. Cum enim Hosius cum Jo. Chrysostomo versaretur, eiusque opera nonnulla in linguam verteret latinam (Fijałek, *Przekłady pism św. Grzegorza z Nazjanzu w Polsce*: Polonia Sacra 1918, 123 s.), hac in occasione alio codice operum S. Doctoris usus est, quam collaboratores editionis Mignianae.

<sup>1)</sup> HOo I 106.

<sup>2)</sup> HOo I 119.

sacrificium crucis relationis expositione apparet missam non esse sacrificium oblationibus V. T. simile; cum enim illa sacrificium crucis praefigurarent, missa id commemorat ac repraesentat; dum in sacrificiis V. T. hostiae et sacerdotes ab Hostia et Sacerdote N. T. distincti erant, in missa econtra idem est sacerdos, eadem hostia tum in sacrificio crucis, tum in quotidiano sacrificio eucharistico.

Quae cum ita sint, sequitur oblationem in cruce peractam et in altari commemoratam aliquod unum esse. Semel enim Salvator oblatus est in crucis sacrificio, quod per sacrificium missae venit in memoriam, praesens est in gratia.

In quam re consistat haec commemoratio ac repraesentatio?

Cum Hosius non tam propriis argumentationibus, quam potius et praesertim adductis „auctoritatum“ testimonis motam quaestionem exponere et explanare conetur<sup>1)</sup>, mens episcopi in luce horum testimoniorum inquirenda est.

Iamvero Origenes — si tantum principalia testimonia, ea scilicet, quae episcopus noster profert, vel ad quae explicite alludit, consideremus — lege de panibus propositionis in luce V. T. explicata<sup>2)</sup>, venit ad eius sensum mysticum proponendum. „Si referantur haec — ait — ad mysterii magnitudinem, invenes commemorationem istam habere ingentis repropitiationis effectum. Si redeas ad illum panem, qui de coelo descendit et dat huic mundo vitam, illum panem propitiationis per fidem in sanguine eius, et si respicias ad illam commemorationem, de qua dicit Dominus *Hoc facite in meam commemorationem*, invenes, quod ista est commemoratio sola, quae propitium facit hominibus Deum. Si ergo intentius ecclesiastica mysteria recorderis, in his, quae lex scribit, futurae veritatis invenes imaginem“<sup>3)</sup>. Ex hoc textu, etiam ab Hosio allato<sup>4)</sup>, elucet finem commemorationis esse τὸ facere Deum hominibus propitium.

Item S. Cyrillus Hierosol., ad quem Hosius alludit, posita in sua quinta catechesi mystagogica quaestione, quomodo fideles sacrificio missae interesse debeant, affert rationem cum practica applicatione, cur sacrificium eucharisticum, iam per solam consecra-

<sup>1)</sup> HOo I 119 s.

<sup>2)</sup> Levit. 24, 4–9.

<sup>3)</sup> *In Leviticum homilia* 13. n. 3: M. G. 12, 547.

<sup>4)</sup> HOo I 120.

tionem essentialiter completum, hostia propitiationis vocetur. Etenim hostia propitiationis (θυσία τοῦ ἱλασμοῦ) significat ipsum Christum mactatum, quem nos — dum sacrificium eucharisticum celebratur — offerimus Deo pro omnibus illis tum vivis tum defunctis, quorum memoriam facimus. Hoc modo consecrationis tempore passionem Domini commemorantes, applicamus fructus sacrificii cruenti, sacrificio incruento mediante, omnibus, pro quibus hoc sacrificium offertur<sup>1)</sup>.

Similiter Ioannes Chrysostomus<sup>2)</sup> et Augustinus<sup>3)</sup>, qui — ratione pro sacrificii crucis et eucharistici unitate exposita — dicunt commemorationem esse revocationem in memoriam mortis Christi et applicationem fructus huius mortis fidelibus<sup>4)</sup>.

<sup>1)</sup> „Postquam vero (scil. consecratione peracta) perfectum est spirituale sacrificium, incruentus cultus (τὴν πνευματικὴν θυσίαν, τὴν ἀναίμακτον λατρείαν) super illam propitiationis hostiam (ἐπὶ τῆς θυσίας ἐκείνης τοῦ ἱλασμοῦ) obsecramus Deum pro communi ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione... et universim pro omnibus, qui orationibus indigent precamur nos omnes et hanc victimam offerimus... Huius rei fidem vobis ab exemplo facere volo. Qui iuvat animam ex hoc mundo in peccati decedentem si eius in oratione mentio fiat? An vero si rex quispiam viros a quibus offensus fuerit, relegaret in exilium posteaque illi, ad quos attinent, coronam plectentes, eam regi pro suis poena ab ipso afflictis obtulerit; nonne ipsis suppliciorum relaxationem gratificaturus sit? Ad eundem modum et nos pro defunctis, etiamsi peccatores sint, preces Deo offerentes, non coronam plectimus, sed Christum mactatum pro peccatis nostris offerimus, clementem Deum pro illis, tum pro nobis demereri et propitiari satagentes“. M. G. 33, 115 s.

<sup>2)</sup> „Cum ostendisset illum (Paulus Christum) non saepe mori debuisse dicit etiam cur semel est mortuus, nempe, quoniam unius mortis fuit pretium redemptionis... Semel mortuus est pro omnibus hominibus... Quoniam ergo futurum erat, ut mors omnes detineret, propterea est mortuus, ut nos liberaret... Offerimus, sed eius mortem revocamus in memoriam et ipsa una est, non multae“. In Epist. ad Hebr. c. 10 hom. 17: M. G. 63, 129 s.

<sup>3)</sup> „Qui passus est pro nobis, commendavit nobis in isto sacramento corpus et sanguinem suum... Simul enim hoc sumimus, simul bibimus, quia simul vivimus“. *Sermo CCXXIX De sacramentis fidelium... feria II Paschae*: M. L. 38, 1103; Cf. *Sermo CCXXVII in die Paschae IV...* ib. 1099 s.; „Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est sacrum signum est“. *De Civitate Dei*, X, 5: M. L. 41, 282; Cf. *De Civitate Dei*, X, 20, ibid. col. 298.

<sup>4)</sup> Ipsorum textuum et praesertim doctrinae S. Joannis Chrysostomi et S. Augustini sensum rectum quod attinet nolumus hisce examinare, sunt adhuc obiectum disputationis (Adam K., *Die Eucharistielehre des hl. Augustin*, Mainz 1908, 72 s.; Lepin, op. c. 74 s.; Casel, *Mysteriengedächtnis...* 161 s.; UMBERG, op. c. 383), sed solummodo volumus animadvertere, quid Hosius de mota quaestione docuerit.



Item Ioannes Damascenus<sup>1)</sup> et Theophylactus<sup>2)</sup>, item denique Paschasius Radbertus<sup>3)</sup> et Ruppertus abbas Tuitiensis<sup>4)</sup>.

Testimoniis igitur „Auctoritatum“ adductis clare indicat Hosius differentiam inter sacrificium crucis et eucharisticum.

Quamvis igitur utriusque sacrificii idem sit principalis offerens et hostia, tamen modo offerendi haec sacrificia distant. In cruce fuit Christus palam sine mysterio, in altari vero occulte et mystice (sacramentaliter), illic Christus semetipsum modo cruento immolavit, hic fit tantum huius immolationis recordatio. Haec tamen recordatio non est aliquod mere otiosum, sed est efficax, et quidem sensu sacramentali. Cum enim sacramenta hoc faciant, quod significant<sup>5)</sup>, sacramentum (signum) sacrificii in cruce peracti, videlicet missa, significando redemptionem obiectivam, per applicationem eiusdem redemptionis fidelibus, qui fide et caritate unum cum Christo mysticum corpus constituunt, transfert eadem vi, acsi Salvator ipse in altari mortuus esset. Etenim Christus (Sacerdos-Hostia) non offertur dum missa celebratur, mere passive (mate-

<sup>1)</sup> *De fide orthodoxa* IV 13: M. G. 94, 1139.

<sup>2)</sup> „Suboritur autem quaestio quid igitur? Nonne et nos hostias incruentas perpetuo offerimus? Omnino sed memoriam facimus mortis Domini. Estne ista unica non multae, quandoquidem semel oblatus est. Nam eandem semper offerimus, immo potius memoriam illius oblationis facimus, qua se ipse obtulit, ceu iam facta sit... Commemorationem (ἀνάμνησιν) autem dicens dedit tibi intelligere, quod victimae istae (in sacrificio eucharistico) non ob futura peccata perficiebantur, verum ob praeterita... Per singulos enim annos, ut ita dicam, veluti sanguis pro populo offerebatur. Ergo quasi eadem peccata essent idem sacrum offerebatur“. *Expositio in Epist. ad Heb.* c. X: M. G. 125, 318 s.

<sup>3)</sup> „Quapropter o homo quotiescumque bibis hunc calicem, aut manducas hunc panem non alium sanguinem te putes bibere, quam eum, qui pro te et pro omnibus effusus est in remissionem peccatorum... Unde sicut tunc in remissionem comeditur et potatur delictorum, vivere non possumus, ut praemissi tali esca et potu refecti, sine macula et ruga inveniamur et non solum hoc, sed etiam omni benedictione coelesti, quae in illis est, repleamur, ac per hoc unum corpus cum illo et in illo maneamus, ubi Christus caput et nos omnes membra censeamur“. *De corpore et sanguine Domini*, c. 15: M. L. 120, 1323.

<sup>4)</sup> Quaestio mota non consideratur, nisi generaliter, *De divinis officiis*, VI, 22: M. L. 170, 166.

<sup>5)</sup> HOo I 72 s.

rialiter), sed active (formaliter), in quantum fructus dolorosissimae passionis et mortis suae in redemptos transfert<sup>1)</sup>.

\* \* \*

Hisce perpensis manifeste colligitur sacrificium ultimae coenae, quod Hosius de cetero obiter tantum considerat, sacrificium crucis et quotidianum sacrificium sacerdotale coniunctum esse vinculo unitatis, quia idem est offerens et eadem victima in Christi oblatione tum in coenaculo, tum in ara crucis, tum denique in missa sacerdotali. Principalem atque centralem locum obtinet sacrificium crucis, quod valorem habet absolutum, sacrificium autem eucharisticum eatenus solum valet, quatenus sacrificium cruentum, a quo modo offerendi differt, repraesentant atque commemorat<sup>2)</sup>.

Unde quamvis Christus semel et quidem in ara crucis semetipsum Deo Patri obtulerit hostiam perfectissimam, completam, atque infiniti valoris, tamen, ne hoc augustissimum sacrificium

---

<sup>1)</sup> „Nihil... impedit quominus in externo sacrificio forma sit, species, imago et exemplar sacrificii crucis, in corpore vero et sanguine, quae sunt res intus inclusae, veritas existat eiusdem sacrificii. Sed quoniam in cruce palam et sine mysterio fuit hostia cruenta, in altari vero occulte et mystice abscondita, ne nos eodem, quo Christus modo sacrificare putaremur... (Patres recte notant), nos non immolare Christum, sicut se ipsum in cruce immolavit, sed illius, in cruce facti sacrificii, recordationem facere. Quae tamen recordatio, sive commemoratio non est otiosa, nec umbratilis, verum efficit, quod significat. Nam et si Christum denuo non occidimus, qui resurgens ex mortuis, iam non moritur, mortem tamen illius haud aliter, quam si nunc eam optiisset, applicamus; nec sola fide, nec solis verbis, verum et symbolis id facimus. Quae non minorem habent vim, quam ipsae res haberent, si, cum earum commemoratio fit, vere patrarentur. In cruento sacrificio crucis mors quoque cruenta fuit, in hoc incruento, mors etiam est (sed) mystica et incruenta, hoc est effectus mortis, haud aliter, quam si praesens nunc adesset. Sic enim in hoc mysterio Christi mors et eius fructus nunc applicatur, ac si nunc ille moreretur“ HOo I 119 s.

<sup>2)</sup> Sacrificium missae „est idem cum eo, quod in cruce peractum est, nisi quod non eodem modo fit; in cruce cruento modo, oblatus est Dominus Noster Jesus Christus, in altari incruento. Ibi passibilis et mortalis, hic impassibilis et immortalis; ibi visibilis, hic invisibilis; ibi in humana specie, hic in speciebus panis et vini; ibi oblatus credentibus remissionem peccatorum et plenam redemptionem obtinuit, hic... ut pridem promeritam per Christum in cruce pendentem, per hoc sacrificium, quod passionem et mortem eius repraesentat, ac memoriam eius nobis refricat, fide et devotione nobis applicemus“ HOo I 122.

et sacerdotium per mortem eius extinguatur, instituit sacrificium eucharisticum, in quo oblatio crucis commemoretur atque repraesentetur, seclusa qualibet pro sacrificio crucis derogatione.

#### IV.

Exposita igitur quaestione quomodo Hosius sacrificii missae existentiam probaverit atque quid docuerit de eius natura, ulterius denique efficacia eiusdem sacrificii in luce doctrinae episcopi nostri investiganda remanet.

Iamvero — ut ex supra dictis elucet<sup>1)</sup> — magna fuit controversia non tantum inter heterodoxos et catholicos, sed etiam in gremio „theologorum Romanorum“ de indole huius efficaciae. Si enim redemptio Christi sufficiens, *superabundans, immo infinita* fuit, si Christus satisfactionem Deo pro nobis condignam dedit, si promeruit nobis remissionem peccatorum atque infinitum gratiarum thesaurum, quinam *finis* adhuc pro sacrificio missae restat? Possitne missa addere ad merita Christi aliqua merita nova, possitne fructibus ex meritis Christi procedentibus adiungere fructus novos? Quomodo hi fructus ex sacrificio eucharistico deriventur, quemnam habeant valorem — en quaestiones adhuc explanandae.

In sessione XXII (17. Septembris 1562 an.) — ut iam supra indicatum est<sup>2)</sup> — declaravit concilium Tridentinum adversus novatorum errores sacrificium missae quadruplicem finem habere, videlicet latreuticum, eucharisticum, propitiatorium et impetratorium, quibus finibus etiam quadruplex respondet effectus: latreuticus et eucharisticus, qui directe ad Deum referuntur; impetratorius et propitiatorius (fructus missae sensu stricto), quorum est aut protectionem divinam hominibus in omnibus eorum necessitatibus implorare, aut indignationem Dei, per peccata humana provocatam placare. Hanc doctrinam — actis concilii testantibus — magna praecedebat controversia.

Quid sentit hac de re Hosius?

Fatendum est quidem episcopum nostrum hanc totam quaestionem *explicite* minime considerare. Nihilominus tamen tum *tenore* argumentationis eius perpenso, tum etiam variis explana-

<sup>1)</sup> Cf. supra p. 288 s.

<sup>2)</sup> Cf. supra p. 290.

tionibus, quas adhibet, examinatis doctrinam eius de mota quaestione exponere possumus.

1. **Finis ac fructus.** Cum sacrificium missae — en tenor argumentationis Hosianae — non sit, sicuti iam animadvertimus<sup>1)</sup>, nisi commemoratio sacrificii crucis, eiusdem sacrificii finis scopo illius, scilicet sacrificii eucharistici correspondeat oportet. Etenim principalis finis sacrificii cruenti et cuiuslibet veri sacrificii est latreuticus. Quapropter etiam principalis finis sacrificii eucharistici est gloria Dei. Hoc colligitur quoque tum ex idea sacrificali ethnologice universalissima, quae movet homines, ut ad manifestandam suam erga Deum servitatem et Dei excellentiam agnoscendam supremo Domino sacrificent<sup>2)</sup> tum, licet non explicite, tamen sat perspicue ex memorata Malachiae prophetia eiusque expositione<sup>3)</sup>.

Si tamen essentialis et principalis finis missae est gloria Dei, et si ad Deum honorandum sacrificatur, quomodo eadem missa in honorem sanctorum celebretur? Hac ex parte mota quaestione a pseudo-reformatoribus, qui missam in honorem sanctorum imposturam esse dicebant<sup>4)</sup>, Hosius, testimoniis SS. PP. praesertim S. Augustini adiuvantibus<sup>5)</sup> et ad praxim Ecclesiae provocando,

<sup>1)</sup> Cf. supra p. 314 s.

<sup>2)</sup> HOo I 132.

<sup>3)</sup> HOo I 116.

<sup>4)</sup> Cf. supra p. 284. n. 3. art. 9.

<sup>5)</sup> „Populus Christianus — dicit Augustinus — memorias martyrum religiosa solemnitate concelebrat et ad excitandam imitationem et ut meritis eorum consocietur atque orationibus adiuvetur ita tamen, ut nulli martyrum, sed ipsi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum constituamus altaria. Quis enim antistitum in locis sanctorum corporum assistens alteri aliquando dixit: Offerimus tibi Petre aut Paule aut Cypriane; sed quod offertur Deo, qui martyres coronavit apud memorias eorum, quos coronavit, ut ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad augendam caritatem et in illos, quos imitari possimus, et in illum, quo adiuvante possumus... At illo cultu, qui graece λατρεία dicitur, latine uno verbo dici non potest, cum sit quaedam proprie divinitati debita servitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum“. *Cont. Faus. Manich.*, l. 20, c. 21: M. L. 42, 384. Idem *In Evang. S. Jo. Tract.* 84: M. L. 35, 1848.

Praeter Augustinum adducuntur: CLEMENS Rom., *Constitut. Apost.*, l. 6, c. 30: Funk, *Patres Apostolici*, Tübingae 1901. I 406 (Cf. supra p. 21. n. 3). Cyprianus, *Ep.* 18 et 39: M. L. 4, 259, 323. Cyrillus Hieros., *Catech. myst.* 5: M. G. 33, 1113. Joannes Chrysostomus, *Hom.* 69 in *Ep. I Cor.* c. 15: M. G. 61, 370; *Hom. 32 in Ep. ad Heb.*, c. 12: M. G. 63, 221 s. Dionysius, Areop. *De Eccl. Hier.*, c. 7: M. G. 3, 556 s.

explicat, quomodo celebratio missae in honorem alicuius sancti intelligenda sit. Nefas est — argumentatur Hosius — intra missae celebrationem pro sanctis orare, sicut misericordia Dei pro defunctis in purgatorio imploratur. Ex alia autem parte nulli sanctorum, sed soli Deo altaria constituuntur. Licet vero missae in honorem sanctorum celebratae offerantur soli Deo, tamen prosunt fidelibus per intercessionem sanctorum, quorum gratia hae oblationes ex parte hominum sunt Deo magis eatenus acceptabiles, quatenus sancti, vera amicitia cum Deo coniuncti, pro hominibus orationibus suis a Deo implorant auxilia, quibus homines adiuti, se totos ad suorum Patronorum coelestium imitationem conferre possint<sup>1)</sup>. Quae cum ita sint concluditur missam in honorem sanctorum non pertinere ad conceptum missae in honorem Dei (finis laeuiticus), sed considerandam esse tamquam sacrificium eucharisticum, ex quo derivantur fructus propitiatorius et impetratorius<sup>2)</sup>.

Ex eodem fundamento, ac finis missae laeuiticus, procedit etiam finis eiusdem sacrificii eucharisticus, cuius aliqua speciali explicatione, ob rationem practicam Hosius abstinet<sup>3)</sup>.

Sequitur tertius missae finis, scilicet propitiatorius. Examinatis testimoniis SS. PP., qui missam vocant ἡ πνευματικὴ εὐσέβεια, ἡ ἀναιματικὴ λατρεία, θυσία τοῦ ἱλασμοῦ<sup>4)</sup>, dicit Hosius sacri-

<sup>1)</sup> HOo I 140 s. — Sedulo notandum est concilium Tridentinum adhibuisse eundem textum S. Augustini, quem Hosius adducit, atque eodem sensu interpretasse. „Et quamvis — ait concilium — in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illas coronavit. Unde nec sacerdos dicere solet offero tibi sacrificium Petre et Paule, sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam facimus in terris“ c. 3: C. Tr. VIII 960.

<sup>2)</sup> Non praetermittitur in hac missa momentum eucharisticum, quod consistit in gratiarum actionibus Deo, qui Sanctos ad victoriam in hac vita terrestri reportandam suis auxiliis adiuuabat. Immo ex testimoniis allatis diserte hoc apparet. Attamen haec quaestio minime explicite in scriptis Hosii tractatur.

<sup>3)</sup> Controversia cum heterodoxis fuit de rebus huius quaestionis dumtaxat fundamentalibus.

<sup>4)</sup> HOo I 120 s — Sermo est praesertim de Cyrillo Hier., *Cat. Myst.* V: M. G. 33, 1117 s.; Joanne Chrysostomo, *In Heb. hom.* 17: M. G. 63, 131; Theophylacto, *Expos. ad Hebr.*, c. X: M. G. 125, 318 s.

ficiam eucharisticam, cum sacrificio crucis correspondeat, sicut illud etiam finem propitiatorium habere<sup>1)</sup>).

Ex hoc fine oritur fructus propitiatorius, qui valet tam pro vivis quam pro defunctis. Etenim per sacrificium eucharisticum remittuntur peccata eis, qui adhuc sunt in statu viae<sup>2)</sup>. Haec tamen remissio non sequitur directe ex sacrificio, quia peccata directe remittuntur in sacramento baptismi et poenitentiae, sed indirecte, in quantum homo per commemorationem pretiosissimae Christi passionis, quae in altari quotidiano repraesentatur, ad poenitentiam movetur. Hoc autem valet tantum de peccatis mortalibus. Venialia enim remittuntur etiam directe. Utrum vero hoc obtineatur semper in missa, Hosius clare non dicit. Certissime autem remittuntur peccata per communionem<sup>3)</sup>. Insuper, cum satisfactio Christi vicaria necnon merita valeant pro toto genere humano, cuius caput est ipse Christus, ideo in sacrificio missae congregantur non modo, qui ibi corporibus praesentes adsunt, verum et ii, qui purgatione post mortem adhuc opus habent. Quapropter offertur Deo etiam sacrificium eucharisticum, ut animis defunctorum propitius sit<sup>4)</sup>).

Quartus denique finis, ob quem sacrificium eucharisticum celebratur, est impetratorius. Cum enim Christus per opus redemptionis non tantum nos cum Deo reconciliaverit, verum etiam omnes nobis gratias promeruerit, quidquid igitur impetrari a Deo cupimus, hoc facimus per Christum. „Quam etiam ob causam — dicit Hosius — omnes orationes, quas vulgo collectas vocant, ita fere concludimus *per Dominum nostrum Jesum Christum*“<sup>5)</sup>. Hic finis emanat prorsus ex natura rei. Etenim inter

<sup>1)</sup> HOo I 120.

<sup>2)</sup> *ibid.*

<sup>3)</sup> HOo I 138.

<sup>4)</sup> HOo I 141. — Hosius in variis occasionibus indicat missam non esse aliquam rem in Ecclesia privatam; immo etiam s. d. missam angularis (*Winkelmesse*) est maximi momenti socialis, quia in qualibet missa sacerdos et hostia est ipse Christus, in qualibet missa habet partem corpus eius mysticum — tota Ecclesia, tum militans, tum satisfaciens, tum denique triumphans. HOo I 140 s.

<sup>5)</sup> *Recantatio*, IV: HOo I 741. — Quamvis auctor Recantationum (Palinodiae sive Recantationes septem) immediatus non sit Hosius sed Fabianus Quadrantinus S. J. († 1605) Gedanensis, tamen, cum Recantationes „iussu et auctoritate“ Hosii editae sint (Coloniae apud Maternum Cholinum 1571), vel — ut dicitur in Hosii operum editione Coloniensi (apud Maternum

celebrationem missae, quae repraesentat liberationem generis humani, ad imaginem et similitudinem Dei creati, a captivitate peccati et diaboli, in cruce peractam, tempus maxime est opportunum ad faciendam memoriam indigentium, eisque fructus redemptionis impetrandos<sup>1)</sup>. Dum enim missa celebratur — putat Hosius — Christus se sistit ante Patrem „habens indicia secum suae passionis, ut Patri — pro nobis supplicans — quale genus mortis pro mortalium vita protulerit, semper ostendat“<sup>2)</sup>.

Huic fini correspondet fructus impetratorius. Per sacrificium igitur eucharisticum impetrantur a Deo varia bona ordinis tum supernaturalis tum naturalis, quibus homines ad vitam recte agendam indigent<sup>3)</sup>.

2. **Valor et modus.** Ipsum valorem sacrificii eucharistici quod attinet, fatendum est Hosium — cum circa hanc materiam non fuerit cum novatoribus controversia — non multum explicite dixisse. Verumtamen ex obiter dictis mens eius elucet.

Cum in missa quotidiana principalis sacerdos et hostia sit ipse Christus, ratione huius actionis Verbi incarnati<sup>4)</sup> valor huius sacrificii internus est infinitus. Insuper dum missa in altari celebratur, litatur in coelo sacrificium Divini Mediatoris, qui ingressus in gloriam coelestem, ostendit cicatrices vulnerum suorum Patri, eumque interpellat pro hominibus. In hac coelesti interpellatione consistit quantum quoddam sacrificium, quod cum sacrificio eucharistico prorsus identificatur. Etenim „idem — ait Hosius — utrobique sacerdos, eadem victima, idem offerendi modus, nimirum incruentus. Nisi quod in coelo per se ipsum, in altari per ministrum. Utrobique corporis, quod offertur, veritas; verum hic

---

Cholinum 1584) — „ab Illustriss. Cardinali Hosio (sint) conscriptae“, etiam quadamtenus pro doctrinae Hosii fonte censi possunt.

<sup>1)</sup> Ibid. — „Si quando trophaeum illius (regis) celebratur, quod illo tempore captivi dimittuntur e vinculis et multa licet impetrare, quae postea, quam solemnitas est peracta, frustra petuntur; sic fieri dicit etiam cum horrendum hoc sacramentum celebratur, quo pro mundo dedit seipsum Deus, quod hoc tempus opportunum sit, ad eorum, qui peccaverunt memoriam faciendam et veniam illis impetrandam“. *Recantatio* IV: HOo I 741 s. Hic textus videtur esse aliqua allusio ad testimonium, quod Hosius ex S. S. Cyrillo Hier. adhibuit. Cf. supra p. 318 s.

<sup>2)</sup> *Recantatio* IV: HOo I 741 s.

<sup>3)</sup> Ibid.

<sup>4)</sup> *Sermo est de oblatione sacerdotum ministerio.*

paliata, in coelo manifesta. Hic imagine Christus offertur, hoc est sub panis speciebus et vini, ibi palam absque ullis integumentis, omnibus conspicibilis<sup>1)</sup>.

Item etiam valor missae externus, seu possibilitas applicandi fructus est quodammodo infinitus, scil. quatenus missa est sacrificium latreuticum et eucharisticum et quatenus possit applicari pro omnibus hominibus eorumque omnibus necessitatibus. Hoc iam derivatur ex supra consideratis. Quomodo autem idem valor sacrificii, in quantum hoc est propitiatorium et imprecatorium, sit finitus, Hosius non dicit.

Valore sacrificii eucharistici examinato, ulterius denique restat explicandus modus efficaciae eiusdem sacrificii. Exposita igitur doctrina de notione sacramenti in sensu signi rememorativi, repraesentativi et prognostici<sup>2)</sup>, dicit Hosius missam, cum sit rememorativum signum passionis Christi, vim, quam ex eadem passione haurit, producere „ex opere operato, id est, ex eo, quod institutum Domini est id, quod geritur, non ex opere operantis, hoc est ex merito ministri“<sup>3)</sup>. Iamvero Hosius in sacrificio missae quatuor distinguit ministros: Christum, Sanctam Ecclesiam, sacerdotes offerentes et fideles participantes. Christus est „opus ope-

<sup>1)</sup> Recantatio IV: HOo I 740. — Primum sacrificium est adumbratio et praefiguratio, cuius ope V. T. sacrificium N. T. annuntiat, secundum est ipsum sacrificium in cruce oblatum, tertium consistit in memoria huius sacrificii in missa quotidiana commemorati, quartum denique sacrificium est Christi coeleste. Haec tamen divisio, quam Hosius l. c. exponit non est ita intelligenda, acsi revera Christus in coelo sacrificium suum terrestre continet. (Cf. Thalhofer, *Das Opfer des A. und N. Bundes...* Regensburg 1870, 210 s.; Scheeben, *Handbuch der kath. Dogmatik*, Freiburg i. Br. 1933. III n. 1496. et alii. Cf. Lepin, op. c. 571 s.). „Iam enim — dicit Hosius l. c. — passio praeteriit, nec unquam deinceps amplius iterabitur, cum illa, quae praeteriit perpetua virtute consistat, neque minus Deo sit acceptabilis, nec minus efficax in illius conspectu hodie, quam quo die caro pendentis in cruce mactata, quo die sanguis de saucio latere per-fusus est“. Nihilominus tamen Christus apparet „vultui Dei pro nobis, ubi nostrum agit advocatum et propitiatorem et sedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis, Patri suo coelesti cicatrices offert vulnerum suorum, quae pro peccatis nostris in corpore suo pertulit“. Haec tamen oblatio non est aliqua externa sensibilis, quod ad notionem sacrificii iuxta Hosium requiritur, sed voluntas seria ac operosa applicandi fidelibus fructus sacrificii crucis.

<sup>2)</sup> Cf. supra p. 315.

<sup>3)</sup> HOo I 116.



ratum, res immolata, quae praesens adest in altari“, est ille supremus Sacerdos cuius virtute fructus missae producuntur<sup>1)</sup>. Sancta Ecclesia offerens est illud corpus Christi mysticum sub respectu praesertim obiectivae sanctitatis consideratum, persona iuridica, per quam Christus, „cum ipsius corporis... sit caput... per ipsam consuetus offertur“<sup>2)</sup>. Tertius offerens, qui nomine et potestate ab Ecclesia derivata missam celebrat, est sacerdos, cuius actio — opus operans — non influit in fructus sacrificii ex opere operato producendos. Quapropter, „quamvis opus operans — repetit Hosius post Innocentium III<sup>3)</sup> sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum, opus operans vocatur sacerdos, qui sacris operatur“<sup>4)</sup>.

Attamen tō opus operans — Hosio testante — duplicem apud scholasticos sensum habet: Innocentius III<sup>5)</sup> dicit tō *opus operans* esse ipsum sacerdotem, Remigius Antissiodorensis<sup>6)</sup> autem rationem formalem huius denominationis in sacerdotis actione esse ponendam putat. Abstractione ab hac distinctione facta, docet Hosius reconciliationem cum Deo, remissionem peccatorum, atque implorationem bonorum non fieri merito, aut actione sacerdotis, sed virtute ipsius Christi sub specie panis et vini in altari praesentis<sup>7)</sup>. Sacerdos homo exercet solum reconciliationis ministerium,

<sup>1)</sup> *Recantatio* IV. HOo I 742; Cf. HOo I 337 s.

<sup>2)</sup> HOo I 114. — Hanc ideam haurit Hosius praesertim ex scriptis S. Augustini: *De Civitate Dei*, l. 10, c. 20: M. L. 41,298; *Contra Faust. Manich.*, l. 20, c. 18: M. L. 42,835. Cf. supra p. 316. n. 2. Idem conceptus invenitur etiam in decreto concil. Trid. de sacrificio missae, sess. 22 cap. 1: C. Tr. VIII 960.

<sup>3)</sup> „Licet autem unus tantum offerat sacrificium, pluraliter tamen dicit offerimus, quia sacerdos non tantum in sua, sed in totius Ecclesiae persona sacrificat. Quapropter in sacramento Corporis Christi nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur sacerdote, dummodo sacerdos cum coeteris in arca consistat et formam observet traditam a columba. Quia non in merito sacerdotis, sed in verbo conficitur Creatoris. Non ergo sacerdotis iniquitas effectum impedit sacramenti, sicut nec infirmitas medici virtutem medicinae corrumpit. *Quamvis igitur opus operans aliquando sit immundum semper tamen opus operatum est mundum*“. De sacro Altaris mysterio l. III. c. 5: M. L. 217, 844.

<sup>4)</sup> *Recantatio* IV. HOo I 742; Cf. HOo I 338.

<sup>5)</sup> *De Sacro Altaris Mysterio*, l. III, c. 5: M. L. 217, 844.

<sup>6)</sup> In *Epist. í Cor.* M. L. 117, 573. („Pseudo-Haymon“ Lepin op. c. 11)

<sup>7)</sup> HOo I 338.

quod a Deo accepit, effectus autem huius ministerii a Summo Sacerdote-Christo per sacramenta procedit.

Hisce consideratis elucet „missam ex opere operato valere — ut Hosius dicit — non propter sanctitatem aut actionem sacerdotis, sed propter victimam illam salutarem, cuius tum fit immolationis repraesentatio... Christus est... Summus ille Sacerdos, qui semetipsum offert; panis, quem dat, id est caro eius, est mundi vita. Quamobrem non hominis sacerdotis actio, verum Christi sacerdotis oblatio, Christi caro, quam semel in ara crucis pro nobis in mortem obtulit, illa est vita mundi, illa est, per quam salutem consequimur, hominis autem sacerdotis nihil aliud est, quam ministerium“<sup>1)</sup>).

Quartus denique offerens sunt fideles, qui in sacrificio per cultum externum partem habent<sup>2)</sup>. Verumtamen ut fideles possint ex hoc sacrificio fructus percipere, debent habere rectam dispositionem, scilicet per sacrificium cordis contriti et humiliati, cum fide et caritate ad sacrum mysterium accedere. „Sicut enim passio Christi — repetit Hosius post Thomam<sup>3)</sup> — prodest quidem omnibus, quantum ad sufficientiam et ad remissionem culpae et ad adoptionem gratiae et gloriae, sed effectum non habet, nisi in illis, qui passioni coniunguntur per fidem et caritatem, ita et hoc sacrificium, quod est memoriale Dominicae passionis, non habet effectum, nisi in illis, qui coniunguntur huic sacramento per fidem et caritatem“<sup>4)</sup>).

Hoc modo contra pseudo-reformatorum obiectiones una ex parte exposuit Hosius rectam doctrinam de causalitate sacramentorum, ex alia autem indicat necessitatem subiectivae dispositionis.

Hisce perpensis elucet episcopum Varmiensem in tota sua disquisitione circa sacrificii eucharistici efficaciam omni ope atque opera enisum esse, ut, sacrificii Mediatoris in cruce oblato unica totius iustificationis causa meritoria probata, ostendere possit, quomodo — iuxta divinam oeconomiam — hoc sacrificium eiusdem Divini Mediatoris in altari oblatum, tamquam sacrificium verum sit necessarium ad finem sacrificii crucis obtinendum et ad fructus eiusdem sacrificii communicandos.

<sup>1)</sup> HOo I 338 s.

<sup>2)</sup> HOo I 337 s.

<sup>3)</sup> IV d. 1 q. 2, a. 1.

<sup>4)</sup> HOo I 114. Cf. ibid. 116, 337 s.

## V.

Adumbrata per summa dumtaxat capita doctrina concilii Tridentini circa sacrificium missae, atque in eius luce de eadem quaestione doctrina Stanislai Hosii exposita, non restat, nisi ut momentum doctrinae Hosianae in synodo Tridentina inquiratur.

1. **Actio in concilio.** Hosius brevi tempore postquam cardinalis creatus est<sup>1)</sup>, ob singularem cognitionem quaestionum fidei disputatarum<sup>2)</sup>, 10. Martii 1561 praesidens et legatus concilii Tridentini nominatus, iam 10. Augusti Tridenti fuit<sup>3)</sup>. Sed antequam Tridentum venit, orta est quaestio de necessitate praesentiae in synodo theologorum Germanorum, „qui praesertim in Lutheranorum castris aliquandiu versati sunt et eorum technas omnes bene perspectas habent“<sup>4)</sup>. Hac de re Cardinalis noster interpellatus duos tantum idoneos proponendos esse putavit, nimirum Fridericum Staphylum et Georgium Witzel<sup>5)</sup>.

In ipsa Synodo Hosius occupatissimus fuit<sup>6)</sup>. S. Petro Canisio adiuvante accipit tum nova opera theologica, tum notitiam de eorum editione<sup>7)</sup>. Hoc attinet praesertim ad litteraturam novissimam circa quaestiones controversas<sup>8)</sup>. Quapropter cum proble-

<sup>1)</sup> 26. Februarii 1561.

<sup>2)</sup> „On peut affirmer qu'aucun de ses contemporains n'en avait une connaissance plus étendue; la sienne était à ce point de vue vaste, sinon universelle et le concile allait pouvoir, grâce à lui et à Seripandi, établir les débats avec toute l'ampleur que requéraient les besoins présents de la chrétienté“. Hefele-Leclercq, *Histoire des Conciles*, IX Paris 1931, 573. Cf. *ibid.* p. 602. — Hosium bene cognovisse doctrinam heterodoxorum testantur Joannes Polanco S. J. (C. Ep. V 222, 827) et S. Petrus Canisius (C. Ep. VIII. 274).

<sup>3)</sup> Steinherz, *Nuntiaturreich aus Deutschland*, I Wien 1897, 290.

<sup>4)</sup> Šusta J., *Die Römische Curie und das Concil von Trient...* I Wien 1904. 23.

<sup>5)</sup> *ibid.*

<sup>6)</sup> C. Ep. IV 69.

<sup>7)</sup> C. Ep. III 475; IV 2 s. 68. 186 s. 210, 335, 350, 369, 380, 413, 609, 780.

<sup>8)</sup> In epistola ad Hosium 11. Aprilis 1562 scripta ita refert S. Canisius „Pro sacrificio missae scripsit volumen Antonius M(on)chiacenus, Doctor Sorbonicus, ut nemo antehac alius copiose“. C. Ep. III 408. — Sermo est de opere, quod Ant. de Mouchy anno 1562 Parisiis in folio edidit sub

mata agitata plane perspecta habuerit<sup>1)</sup>, nonnumquam fuit Hosius obiectum verae sinceraeque admirationis<sup>2)</sup>. Hoc obtinuit praesertim in colloquiis privatis, in quibus congregabantur tum theologi in sacrarum litterarum scientia inter ceteros eminentes, tum episcopi, qui in illis gravissimis utilissimisque sermonibus, lectionibus atque disputationibus, quae per aliquot horas ante mensam et amotis mensis habebantur, quaestiones in congregationibus synodi motas vel movendas examinabant<sup>3)</sup>. Iamvero hae disputationes multum

---

titulo „*Christianae religionis institutionisque D. N. J. Christi et apostolicae Traditionis adversus Missoliturgicorum blasphemias ac novorum huius temporis sectariorum imposturas praecipueque Joannis Calvinii et suorum contra sacram Missam, catholica et historica propugnatio*“.

<sup>1)</sup> C. Ep. V 222; VIII 274.

<sup>2)</sup> „Iam dñi est — scribit ad Hosium Card. Truchsess 30. Augusti 1561 — cum id ipsum vita tua, scripta acta testantur; quibus te unum ex illis Patribus, qui primis Ecclesiae temporibus floruerunt, admiramur“. Umiński, *Opinje o cnotach, świętobliwości i zasługach Stanisława Hozjusza*, Lwów 1932, 20. Anno sequenti (19. Decembris 1562) Card. Puteo in epistola ad eundem Hosium tale exprimit iudicium: „...in difficili perplexaque causa te certo scio plurimum laborare... Tantum habeto, me ita pridem statuisse: nullam esse tam difficilem, intricatamque in religione nostra quaestionem, in qua explicanda atque solvenda quisquam tibi vel eruditione, vel exercitatione, vel, quod caput est, prudentia et pietate praeferrit possit“, Umiński, op. c. 25. — Item dicit episcopus Nicastrensis (Ioannes Ant. Facchinetti, postea Papa Innocentius IX, 29. Octobris 1591 — 30. Decembr. 1591. Cf. Pastor, op. c. X 576—587) in voto de ultimo canone sacramenti ordinis (27. Novembris 1562) „vidererque semper audire et doctissimum et sanctissimum hunc patrem et Dominum nostrum Varmiensem, de Lutheranorum rebus ac consiliis instructissimum, nobis loquentem... non potui verbis et monitis huius doctissimi et sanctissimi patris et de Ecclesia Dei ita benemeriti non moveri“. C. Tr. IX 180. Similiter Archiepiscopus Beccadelli „Il Varmiense — ait — parmi un altro Polo, tanto modesto, gentile e dotto. C. Tr. III. 176. n. 4. Cf. Frankl, op. c. 177 s.

<sup>3)</sup> „Quos autem videbat in omni pietate et in sacrarum litterarum scientia inter ceteros eminere, eorum praecipue consuetudinem appetebat, ad communicationem studiorum et consiliorum invitabat, quaerebat, audiebat, sciscitabatur et gratiam habebat respondentibus atque se in omni congressu humanissime et familiarissime adhibebat... Vidimus ab eo decem et plures etiam patres ad mensae refectionem simul admotos benedictionis loco genus hoc caritatis accepisse, quod in ea plus sapientissimis colloquiis, quam cibus alerentur ita, ut saepe doctiores... recederent... Vidimus non paucos inferioris ordinis viros, pietatis et sacrarum litterarum amatores,

valebant, quia teste Reszka, „qui concilii Tridentini tempore cum secretarii et camerarii nomine in Hosii familia versabatur“<sup>1)</sup>, fuerunt nonnulli, qui sententias Cardinalis calamo excipiebant<sup>2)</sup>.

2. **Relatio ad decretum.** Hae privatae disputationes magnum absque dubio influxum in decretum de missae sacrificio elaborandum habuerunt. Quamvis enim novissima actorum concilii Tridentini editione testante<sup>3)</sup> episcopus noster semel tantum in congregationibus publicis, dum problema motum disquirebatur, locutus sit, tamen doctrina eius de sacrificio missae non absque momento pro hoc decreto fuit.

Iam ex supra examinatis<sup>4)</sup> manifesto intelligi potest doctrinam de sacrificio missae a pseudo-reformatoribus acerrime oppugnatam, antequam decretum authentice definitum sit, tum quoad existentiam ipsius sacrificii, tum quoad eiusdem essentiam atque efficaciam, varias magnasque habuisse difficultates. Habeantne testimonia scripturistica tum V. tum N. T. revera vim sufficientem ad sacrificium missae divinitus institutum demonstrandum, an fortasse traditio sit unicus fons, ex quo demonstratio huius institutionis hauriatur, fueritne oblatio Christi in ultima coena verum sacrificium, quaenam sit mutua relatio inter hoc sacrificium et sacrificium crucis necnon missae quotidianae, quaenam sit efficacia sacrificii missae et unde missa suum hauriat valorem — en praecipuae quaestiones, constituentes obiectum disquisitionis et controversiae in concilio Tridentino.

Patrum atque theologorum disquisitione absoluta, synodus — ut iam supra notatum est — solemniter definivit sacrificii missae existentiam ex Scriptura demonstrari et ad hanc definitionem

---

magni beneficii loco reputasse, cum... gravissimos illos et utilissimos sermones, lectiones, disputationes, quae per aliquot horas et ante mensam et mensis amotis habebantur, audire potuissent“. Rescius, *D. Stanislai Hosii Vita*, I. II c. XIII: Acta Hist. Res Gestas Poloniae Illust. T. IV. Kraków 1879, p. LII.

<sup>1)</sup> C. Ep. IV 63.

<sup>2)</sup> „Scimus etiam hominem, ac fortasse plures alii Hosii admiratores fuisse, qui pene singula illius verba et sententiarum pondera sive in publicis consiliis, sive in privatis et domesticis colloquiis recitata, calamo studiosissime excipiebant et inter sua *κεμῆλια* reposita magno adhuc studio et diligentia asservant“. Rescius I, c.

<sup>3)</sup> C. Tr. VIII 955.

<sup>4)</sup> Cf. p. 7 ss.

probendam adhibet prophetiam *Malachiae*, textum, ubi de oblatione *Melchisedech* sermo est, et praeceptum ipsius Christi *Hoc facite in meam commemorationem*. Insuper concilium declarat quinam sit missae finis et fructus, explanat quomodo missa cum sacrificio crucis componatur, indicat Christum in ultima coena verbis *Hoc facite in meam commemorationem* sacerdotium N. T. instituisse.

Priusquam tamen concilium motam quaestionem authentice definiverit, iam fere plenum decennium antea, apparuit *Hosiana Confessio* (pars prima) ad cuius momentum patres animum referunt<sup>1)</sup>, ubi tota doctrina circa missae sacrificium erat exposita in hoc sensu, in quo postea concilium decidit.

Revera comparatione facta inter decretum Tridentinum ex una parte, et tum doctrinam patrum ac theologorum concilii, tum doctrinam nostri Cardinalis ex parte altera, colligi potest partim magnam esse similitudinem ad modum quaestionem proponendi atque argumenta adhibita quod attinet, partim doctrinam esse eandem tam in Hosii Confessione, quam in decreto Concilii.

Deinde minime desunt testimonia, quibus formalis influxus Hosii in decretum Tridentinum probetur.

In epistola ad S. Petrum Canisium (7. Decembris 1565) dicit Cardinalis noster in Synodo Tridentino maximam de eo contentionem fuisse, num in coena se Christus obtulerit. Nec enim „defuerunt — ait — qui, quod Lutherani quoque faciunt, negarent oblationem ullam in coena factam esse. Factam esse visum fuisse mihi, quod opere pretium essem facturus, ut ad confirmationem doctrinae, quae tandem obtinuit in synodo et quam nos etiam in confessione nostra defenderamus“...<sup>2)</sup>). Proposita igitur in concilio quaestione de sacrificio ultimae coenae, erant multi — ut iam supra notavimus<sup>3)</sup> — qui eiusmodi sacrificium negabant, non tamen defuerunt, qui illud affirmabant. Disputatio crescit, atque fit vehementior, praesertim, cum in gremio ipsorum Synodi legatorum sententiae divisae fuerunt. Ipse Cardinalis Seripando in epistola ad card. Amulium (24. Augusti

<sup>1)</sup> Cf. supra p. 282.

<sup>2)</sup> C. Ep. V 139. Cf. *Epist. Hosii ad Card. Amulium* (Marcantonio da Mula) an. 1565. HOo II 239.

<sup>3)</sup> Cf. supra p. 287 s.

1562) fatetur hanc controversiam sibi ita molestam esse, ut — si legati munere non fungeretur — dato suo voto pro mota quaestione negativo, concilium relinqueret<sup>1)</sup>. Sententiam autem affirmativam constanter tenebat ac defendebat Hosius, cuius doctrina tandem aliquando in definitione consilii approbata est.

Item obiectum magnae disputationis in synodo — ut iam supra notavimus — fuit quaestio, utrum Christus verbis *Hoc facite in meam commemorationem* revera sacrificium missae instituerit. De cardinalis Hosii in hac re momento ita dicit Pallavicino: Il Legato Osio, il quale ne' suoi libri haveva insegnata la sentenza contenuta in quel canone, la difendeva placidamente, solvendo le opposizioni e resistendo alle istanze de' quattro Spagnuoli<sup>2)</sup>. Ast nihilominus nonnullis patribus (16. Septembris 1562) insistentibus Christum non verbis *Hoc facite* etc. sed aliis, videlicet *Accipite Spiritum sanctum, quorum remisertis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt* (Jo. 22, 22) sacerdotes instituisse, episcopus Varmiensis iterum difficultatem solvit. „Il Legato Osio — dicit Pallavicino — riputò convenirgli dire alcune parole à difesa della propria sentenza, che già era divenuta sentenza universale del Sinodo. Pertanto distinse due podestà conferite à sacerdoti a Christo. L'una sopra di suo vero corpo. L'altra sopra il mistico, che sono i Fedeli. La prima, che importa la facolta di consecrare, essersi data lor nella Coena; e niun de'Padri antichi à ciò contraddire<sup>3)</sup>. La seconda, la qual

<sup>1)</sup> Uno scrupulo ci è restato, de quale io uscirei, se non fussi qui legato, ma solamento vescovo, perchè potrei dirne il voto mio et lasciar poi fari ad altri“. Šusta, op. c. II 312 s. Cf. Pallavicino, *Istoria del Concilio de Trento*, Roma 1656, lib. 2, c. 1 (II 440).

<sup>2)</sup> Pallavicino, op. c. lib. 18, c. 5 (II 467). Enumerati Hispani sunt: Bartholomaeus de Martyribus, archiep. Bracarensis, Hispaniae primas; Petrus Querrero, archiep. Granatensis; Antonius Corroiero, episc. Almariensis et Martinus de Ayala, episc. Segobiensis. — Hic numerus (*quattro*) non est completus. Cf. supra p. 286.

<sup>3)</sup> Hoc dirigitur contra archiep. Querrero, qui in congregatione generali (16. Septembris 1562) ita dicit: „Propterea animadvertendum est, an sit verum, quod Christus instituerit sacerdotes in coena illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, cum variae de hoc opiniones sint inter doctores et quampures sancti patres asserunt, eos institutos fuisse post resurrectionem illis verbis: *Accipite Spiritum sanctum* etc., cum dedit eis scientiam clavis, quod verius videtur“. C. Tr. VIII. 954.

contiene l'autorità d'assolvere; esser quella, che fù riserbata dopo la Risurrezione<sup>1)</sup>.

Denique cura atque studium Hosii personale in decreto edendo efficitur ex relationibus concilii ad card. Carolum Borromaeum scriptis<sup>2)</sup>.

Cum tamen ulterior explicatio, praesertim modo populo Christiano accomodato, decreti concilii Tridentini in Catechismo Romano, iussu Pii V 1566 edito, inveniatur, concludi potest „Auctoritates“ eiusdem concilii saltem immediatum influxum in Catechismum Romanum habuisse.

Probetur aliquis Hosii influxus in Catechismum Romanum?

Franciscus Hipler in editione Hosii contionum ita scribit: „Der Catechismus von Canisius wie auch der Catechismus Romanus stehen auf dem Boden des Hosius'schen Schriften“<sup>3)</sup>. Quomodo huiusmodi assertio demonstretur? Quamvis Cardinalis noster, synodo Tridentina absoluta, immediate in Poloniam se contulerit, atque nullam partem personaliter in commissione pro Catechismo edendo instituta habuerit, tamen ex epistolis quas tum a S. Borromaeo (27. Decembris 1564), tum a S. Pio V (28. Septembris 1566) accepit, patet interfuisse eum scire, quid hac in quaestione sit factum<sup>4)</sup>.

Quod externae conditiones tantum insinuant, ipsa comparatio Catechismi cum Hosii Confessione valde suadet. Hic et illic habentur eadem argumenta scripturistica tum V. tum N. T.; hic et illic datur eadem methodus argumentationis. Quod Hosius per latum et longum, multis testimoniis adductis explanat, hoc Catechismus breviter refert<sup>5)</sup>.

<sup>1)</sup> *Istoria del Concilio de Trento*, lib. 2, c. 8 (II 484). Cf. C. Tr. VIII 955.

<sup>2)</sup> „... vero è chè a me Varmiense saria piaciuto assai chè nella doctrina si fossero poste in due luoghi alcune poche parole, che si mandano con queste altre scritte qui alligate a V. M<sup>ma</sup> et R. S<sup>ria</sup> ma essendosi proposte nella sessione alli padri, non è parso loro di admetterlo, riservandosi a volerle con più tempo considerare“. *Epist. legatorum concilii* 16. Julii 1562. Šusta, op. c. II 248. Cf. ibid. 546 s.

<sup>3)</sup> *Die deutschen Predigten und Katechesen der ermländischen Bischöfe Hosius und Kromer*, Köln 1885, 8.

<sup>4)</sup> Frankl, op. c. 174 s.

<sup>5)</sup> *Catechismus ex decreto Concilii Tridentini ad parochos Pii V Pont. Max. iussu editus*, (utimur ed. Bergomi 1570), P. II c. 4, n. 66—79.



Hisce perpensis intelligi potest doctrinam Cardinalis nostri de sacrificio missae revera in decretum Tridentinum elaborandum multum auctoritatis habuisse, atque sententiam eorum, qui dicunt episcopum Varmiensem sub magno influxu theologorum Hispanorum, nempe Alphonsi Salmeronis S. J. et Francisci Turriani (Torres) fuisse<sup>1)</sup>, non solido niti fundamento, quia doctrina, quam in concilio Hosius defendebat, iam in suo opere, antequam in synodo haec quaestio mota sit, proposuerat. Ex alia autem parte fatendum est disputationem Tridentinam movisse episcopum nostrum ad novas editiones suae Confessionis curandas. In hisce editionibus adscribuntur nonnulla testimonia SS. PP., quorum sensus in disquisitione demum synodi fit clarior. Imo ipse Hosius testatur de aucta tertia editione Antverpiensi<sup>2)</sup>, cui adiunxit inter alias sententias SS. PP., etiam, „quae Gregorius Nyssenus ea de re (essentia sacrificii missae) scripsit“<sup>3)</sup>.

### CONCLUSIO.

Gaspar Casalius (Casal), episcopus Leriensis, qui synodo Tridentina tempore Hosii interfuit, in opere suo<sup>4)</sup>, adducto catalogo patrum et theologorum, qui „expresse locuti sunt de augustissimo missae sacramento“<sup>5)</sup> praeter Antonium Monchiacenum, de cuius opere cardinalis noster notitiam a S. Petro Canisio accepit<sup>6)</sup>, citat ex tunc viventibus unicum Hosium, „qui vir, etsi adhuc in humanis agat, tamen est ob multa maximaque merita, ob eximias animi dotes, sacrae theologiae muneris omnibus absolutam disciplinam... dignus ut doctoribus etiam praeclarissimis et antiquioribus adnumeretur“<sup>7)</sup>. Etenim ipse Cardinalis „omni merito venerandus est in sua explicatione Confessionis... eo loco, quo prudenter, late,

<sup>1)</sup> Š u s t a, op. c. II 250, 252, 269, 546 s.

<sup>2)</sup> „In aedibus Joannis Stelsii an. 1563“.

<sup>3)</sup> C. Ep. V 139. Cf. supra p. 312 s.

<sup>4)</sup> *De sacrificio missae et de sacrosanctae eucharistiae celebratione per Christum in coena novissima libri tres*. Antverpiae 1573. (1. editio Venetiis 1563).

<sup>5)</sup> op. c. 32 v.

<sup>6)</sup> Cf. supra p. 330 n. 8.

<sup>7)</sup> op. c. 44.

exactissime divinis scripturis et sanctis patribus invictissime atque irrefragabiliter demonstrat, quod hoc sacramentum, id est sacra Eucharistia recte dicatur sacrificium<sup>1)</sup>).

Iamvero hac laude singulari, quam Hosio Casalius tribuit, iterata postea saltem implicite a theologis, qui in sua doctrina de sacrificio missae proponenda, ad auctoritatem nostri Cardinalis provocant<sup>2)</sup>, considerata, intelligi potest episcopum Varmiensem multum auctoritatis in motam quaestionem habuisse.

Quapropter exposita in luce controversiae Tridentinae doctrina Hosii de sacrificio missae, non superest nisi, ut ea, quae hucusque magis analytice sunt examinata perspicuitatis gratia breviter et synthetice recapitulentur atque de valore huius doctrinae aliqua deducetur conclusio.

Ex disputatione Tridentina circa motum problema apparet Hosium revera multum valuisse in decretum de sacrificio missae edendum.

Fuit tamen episcopus Varmiensis sub influxu aliorum theologorum saec. XVI, qui de sacrificio eucharistico multum scripserunt, antequam Hosiana Confessio apparuerit?

In prima editione memorati operis provocat Hosius<sup>3)</sup> ad sermones „Michaëlis, episcopi Messargensis<sup>4)</sup>, in posterioribus<sup>5)</sup> autem dicit de operibus Cochlaei<sup>6)</sup> et Roffensis<sup>7)</sup>. Insuper anno 1531 edidit Joannes Eck librum *De sacrificio Missae*, cum epistola nuncupatoria ad Sigismundum Regem Poloniae<sup>8)</sup>, quod opus, ob auctoris famam, latissime divulgatum non potuit episcopo Varmiensi, antequam suam scripserit „Confesionem“, incognitum esse.

<sup>1)</sup> ibid. 14.

<sup>2)</sup> S. Robertus Bellarmino, *Disputationes de controversiis fidei...* Ingolstadii 1586. Contr. 3, lib. 5, c. 5.

<sup>3)</sup> fol. CXXXI v.

<sup>4)</sup> Michaël Helling, episc. Mersburgensis, *De sanctissimo ac praesantissimo Missae sacrificio contiones XV in comitiis Augustanis* an. 1548. Utimur editione „Coloniae 1562“.

<sup>5)</sup> HOo I 121 et catalogus auctorum.

<sup>6)</sup> *Sacerdotii ac sacrificii Novae Legis defensio...* Ingolstadii 1544.

<sup>7)</sup> Joannes Fisher, *Assertionum Regis Angliae defensio...* Parisiis 1523.

<sup>8)</sup> Cf. supra p. 302, n. 3.

Nihilominus tamen memoratis opusculis cum Hosii Confessione comparatis apparet episcopum nostrum sub eorum influxu vix fuisse. Etenim, quamvis inter Eckium, Cochlaeum et Michaëlem Helling ex una parte, et Hosium ex parte altera accidant conceptus quadamtenus similes <sup>1)</sup>, quamvis argumenta scripturistica ad sacrificii missae existentiam probandam exponenda quod attinet Hosius forsitan opus Eckii adhibuerit, tamen de influxu aliquo maiori vix sermo esse potest, quia multa argumenta tum scripturistica, tum patristica necnon modus proponendi quaestionem in memoratis operibus et in Hosii Confessione valde distat.

Similiter dicendum est etiam de aliis libris, ubi mota quaestio consideratur <sup>2)</sup>. Astvero ex probabili cognitione operum editorum et ex aliqua similitudine inter haec opera et Hosii Confessionem influxus nondum probatur, praesertim ob rationem supra expositam.

Hosius igitur suam doctrinam haurit imprimis ex scriptis SS. PP. et scholasticorum mediaevalium, quorum sententias bene perspexit.

Ulterius restat examinandus valor doctrinae Hosii in se considerandus.

Fatendum est quidem Hosium plenam de sacrificio missae doctrinam in aliquo methodo scholastica non exposuisse; nonnullae quaestiones tractantur fusius, aliae obiter tantum considerantur. Cum Cardinalis oppugnet praesertim errores pseudo-reformatorum, qui existentiam sacrificii eucharistici omnino nega-

<sup>1)</sup> Imago Hosii de fonte (cf. supra p. 310) habet aliquam similitudinem in primo sermone Mich. Helling, Cf. op. c. p. 5.

Similiter ac Hosius Eck etiam videtur putare essentiam sacrificii missae consistere in commemoratione oblationis in cruce peractae. Op. c. p. 11 v. s. — Lepin, op. c. 259, adducit ad doctrinam Eckii explanandam eius *Enchiridion* et *Homilias*. Ut tamen doctrina auctoris sit clara, examinandum est eius opus *De sacrificio missae*, ubi mota quaestio κατ'εξοχὴν consideratur.

<sup>2)</sup> Magis illo tempore opera nota, praeter iam memorata, sunt sequentia: Caietanus (Thomas de Vio † 1534) *De missae sacrificio et ritu adversus Lutheranos*, Romae 1531; Joannes Driedo (Neys † 1335), *Tractatus de captivitate et redemptione generis humani; De Scripturis et dogmatibus ecclesiasticis...*: Opera... Lovanii 1572; Gaspar Contrinus († 1542), *De sacramentis christianae legis et catholicae Ecclesiae*, Lovanii 1556; Ruardus Tapper († 1559), *Declaratio articulorum... adversus nostri temporis haereses...* Lugduni 1554; idem *Explicatio articulorum... circa dogmata ecclesiastica, nostro tempore controversa...* Lovanii 1555.

bant, sequitur eiusdem sacrificii realitatis demonstrationem partem principalem totius doctrinae Hosianae circa materiam motam constituere. Deinde contra eosdem errores exponitur quomodo natura et fructus sacrificii eucharistici sacrificio in cruce oblato non tantum minime derogent, verum etiam sint necessarii. Haec tamen quaestio, eatenus consideratur, quatenus ad refellendos adversarios opus fuit. Quapropter contra nudam commemorationem missae in sensu heterodoxorum indicat commemorationem missae sacramentalem.

Vis totius Hosianae argumentationis derivatur imprimis ex citationibus SS. PP., quorum testimoniis propositiones suas Hosius probare conatur. Singula „auctoritatum“ testimonia — spectato eorum textu et contextu — revera vim demonstrativam habent. Idem dicendum est de argumentis scripturisticis, quae — si a nonnullis explicationibus exegeticis praescindimus — etiam hodie eundem retinent valorem (De cetero praecipua Hosii argumenta scripturistica et nonnulla patristica in concilio approbantur). Ad rationes theologicas quod attinet dicendum est — quod iam ex natura rei elucet — eam non fundare nisi convenientiam.

Hisce omnibus examinatis, iterum reassumptis, concludimus Cardinalem Stanislaum Hosium in suis operibus, ubi de sacrificio missae, sermo est, quamvis nonnullas quaestiones, iam illa aetate notas ac evolutas obiter tantum consideraverit, vel etiam omnino praetermiserit, tamen fundamentales pseudo-reformatorum errores refutando, talem proposuisse doctrinam, quae — comparata cum decreto Tridentino — testatur Hosiana scripta non continere aliquod compendium theologicum absque scientifico valore<sup>1)</sup>, sed — saltem in mota quaestione — haec praebere argumenta, quae, ob suam claritatem et praesertim propter solidum in locis theologicis fundamentum, ad res controversas quod attinet, a Patribus concilii Tridentini prae ceteris praeferenda diiudicata sunt.

Lwów

Stanislaus Frankl

---

<sup>1)</sup> Lortz, *Kardinal Stanislaus Hosius*, Braunsberg 1931, 173 s.